Verisimil. ll. IV.
De arte critica
Melos.
Symbola critica in Apulej.
Suspectar. lectionum ll. 5.
Coment. in Priapeja
Epistola Heraclii Imp. ad Sophoclem et vicissim.
M. + Antonii et Cleopatrae epp. ad Soran. et vic.
Consultationes de scholar. et stud. ratione.
De paedia hum. et divin. litterar.

+ Jos. Scaligeri in Priapeja.

12. 5. 1941
ore 14·30 circa

GASPARIS SCIOPPII, FRANCI,

VERISIMILIUM LIBRI QUATUOR.

In quibus multa veterum ſcriptorum loca, Symmachi maxime, Cor. Nepotis, Propertii, Petronii, aliorum, emendantur, augentur; inluſtrantur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EM. ROMA



AMSTELODAMI,
Apud JUDOCUM PLUYMER Bibliopolam, M. DC. LXII.

[illegible]

Digitized by Google

Viro clariſſimo, ſpectatiſſimo,

PAULO TERHAARIO,

Amſtelodamæo; Philoſophiæ Doctori; Hiſtoriarum, Eloquentiæ, Græcæque linguæ, ordinario Duiſborgi ad Rhenum Profeſſori;

S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

MOnumentis clarorum & doctorum virorum edendis libenter inſcribunt gnavi typographi illuſtrium nomina Literatorum: tum ut honorem habeant bene meritis defunctis, viventiumque extollant, tum ut laudabilis munus typographi cum curâ exequantur. Ego igitur, clariſſime TERHAARI, qui mihi inter intimos es, rectæque eruditionis antiſtes, poſtquam ſemel animum adjeci laudatiſſimis & utiliſſimis ſcriptis GASP. SCIOPPII, ſuperiori ſæculo phœnicis omnis ingenuæ literaturæ, ferme emortuis, reſuſcitandis & publicandis; huic editioni tuum inſcribere nomen conſtitui: tum ob autoris nobilitatem, tuamque paritatem; tum ad firmandam

amiciciam, quæ nobis inter nos intercedit; tum denique propter typographorum rem, quibus nunquam non cordi debet eſſe magnorum in literis virorum amicicia, familiaritas, & cultura. Tu verò, maxime vir, valere, & publico utilis eſſe perge; nec amare deſine quem noſti, tuum

JODOCUM PLUYMER.

Amſterod. cal. jul.
1662. *Gregor.*

LE-

L E C T O R I
B E N E V O L O S.

HOc *age ſis, lector benevole, nunc jam, quæ quidem res mihi meiſque libellis vortat bene; operam dare te mihi, ſi opera eſt, rogo. Non ego te nunc itidem, ut in aliis libris fieri ſolet, longo & verboſo morabor antelogio: ſed, quid adferam nunc, quidve, Lector, ſperare debeas, exponam, in verba autem pauciſſima conferam. Principio dum* VERISIMILIUM *nomen his facere libris placuit: eadem opera Suſpiciones, Divinationes, Conjectanea, queis alii utuntur indicibus, inſcribere potuiſſem. Varia variorum ſcriptorum loca mutila explevi, adfecta perſanavi, nubila inluſtravi: quorum primum ut utiliſſimum, ita tutiſſimum; nec enim conjecturis iſtic agitur, ſed libris, iiſque optimis. Medium nec utile, nec tutum minùs, ſi bono id fiat modo, & vel ſcriptorum librorum auctoritas certa, vel ſuſpicio evidens. abſque his quod quis corrigere ſe quicquam poſtulet, nugas egerit. Illud verò, quod poſtremo dixi loco, de prioribus ſuapte conſequitur. Locum enim mutilum & mancum auxiſti, depravatum emendaſti; quid ejus luci officere poſſit ampliùs, nequeo ſatis decernere. Nec me fugit, nonnumquam & ſententiis plane integris, & necdum mala manu tentatis, ſuas ineſſe nebulas; at raro ſcriptoris ea culpa. Barbari ſumus, in media barbaria alti eductique. Latinum ſermonem nullo ſæpe præeunte addiſcimus, labore nimium-*

 mium-

miumquantum ærumnabili. Et quid mirum, ſi nonnumquam caliget animus in exotici ſcriptoris lectione, quum vernaculum ſermonem haud raro ignoremus? Quare perpetuo hoc iis erit factum memorabile, qui lucem auctoribus adferre ſatagunt, eoſque aget penna metuente ſolvi fama ſuperſtes. Ex hac igitur nota, ut dixi, eſt opera hæc noſtra, Lector, & id ego facere me ſemper ſtudui, ut doctis bonisque potiùs probata illa foret, quàm pluribus. Nec enim vulgus moror; ſed nec doctos quoſdam vulgo ſimiles. Me tamen, ne neſcias, tria potiſſimùm ab horum librorum editione abſterrere poterant. Principio amicus noſter vir doctus me hortari numquam deſtitit, ut animum ab hac cogitatione abducerem: futurum ut mei me facti pœniteret, ſi tam erudito ſæculo quicquam hac ætate vulgare ſuſtinerem. At idem numquam adhuc ut ſibi obſequelam facerem fecit. Satius namque duxi, aliorum juxtà doctorum monitus & exempla ſequi, quàm illius fruſtrationes imitari; & temerarium videri, quàm doloſum, quique vanis promiſſis alios deludere pro cibo habeat: quum præſertim eumdem operæ meæ nondum viſæ, & alioquin huic ſtudio, quod ipſe in Galliis olim nequiter pæne expetiverat, iniquiorem videam. Alterum illud eſt, quòd Senatum conſultum de Correctoribus Lipſianum mihi plerique oſtendebant, fraudem fieri Legi Annariæ quiritantes, quæ ipſo quinquennio correctura me prohiberet. Sine dolo dicam, graviſſima primùm hæc mihi cauſſa viſa eſt, & idonea, quæ iturientes VERISIMILIUM *meorum libros inhiberet & velut reprehen-*

deret.

deret. At ego rem illam cum amicis multimodis meditatus nullam cuiquam fieri putavi injuriam, ſi quinquennio maturiùs quàm per leges, ſalutem & vitam partim adfectis partim intermortuis ſcriptoribus reſtituerem. Et verò venia legis Annariæ impetrata nonnullos hoc ætatis conſulatum geſſiſſe legimus; & ejus opera ſæpe (ut Tullius teſtatur) factum eſt, ut magna indoles virtutis, priuſquam rei publicæ prodeſſe potuiſſet, exſtincta fuerit. Qua etſi me non dico præditum, neminem tamen adeo inhumanum futurum ſpero, ut utilitatem legis illius vaniſſimo oſtentu velit impedire publicam. Poſtremo, judiciorum variantiam nonnemo ſubjiciebat. At ego etſi haud falſus eſſem, plurimorum me hominum hac opera mea reprehenſiones incurſurum, doctorum tamen quorundam virorum judicio tutus lineam mittere auſus fui. Verum-enim non itidem ingeniatus ſum, ut meus Theologaſter parvulus; qui nobis Orgia in cælo celebrari impudentiſſime perſuadere ſe poſtulat, & meam aliorumque Criticam faſtu reſpuit inſolente limam. *Novi quantum qui optime Horatianum illud:* —— Neſcit vox miſſa reverti.

Sed & illud novi, daturos adoleſcentiæ & pio adfectui meo veniam viros eruditos, ſicubi, quod ipſis factu facile, meliora ipſi dare potuiſſent. Et hæc quidem omnia non morari cæperam, quum ecce aliud me derepente verberavit. Erat mecum vir doctiſſimus, idemque poëta longe cultiſſimus, Thobias Scultetus, cum diſcipulo ſuo juvene nobiliſſimo & ſpei ad ſumma maximæ Sigiſmundo de Burghauſen. *Is narrabat, multos ab hoc ſtudii genere*

& ejuſmodi librorum editione ea potiſſimùm re abſterreri, quòd quæ tu princeps invæniſſe putas, jam olim ab aliis indicata fuerint, & ita ægre caveri, ne quis in plagii ſuſpicione ponatur. Et illud quidem uſu mihi væniſſe fateor. Quum enim librum vet. Rittershuſianum cum Juvenali à Pithæo edito contuliſſem, loca pulchre emendavi longe plurima: & ego jam gaudere, correctionum illarum certitudinem aliis jactare, prorſus omnia facere, quæ pueri, quum quid in faba ſe reperiſſe clamitant: quum ecce Pulmanniana ad me adfertur editio, qui ex ſuis, ut apparet, libris pleraque omnia jam antè emendaverat. Quare ne contra morem & pudorem meum aliquid alieni in armum tollerem, feci, omneſque eas lectiones Pulmanno libenter faſſus ſum deberier: pauculas tamen ab eo præteritas his libris inſeri curavimus. Sed & in aliis haud ſemel idem mihi expetivit. Quare quum primùm ſola fere certum fuiſſet proponere conjectanea, mutato in melius conſilio tutiorem inſtiti viam, & manuſcriptorum librorum ope uti in corrigendo malui. Et nihil me ſcientem alieni, niſi auctore ſuo pariter laudato, heic proponere, id Deum teſtor. Quin id dedi operam, ut diligenti ſciſcitatione quærerem, ſuperarentne etiamdum conjecturæ, quæ aliis in mentem fuiſſent. Si quid noſtram hac in re fugit diligentiam, te mihi ignoſcere æquum eſt, Lector: ſiquidem ita me animatum reperies, ut de quamlibet curta ſupellectile aliis mea adjudicare mavelim, quàm alienis noſtra adauctum & exornatum ire. Illud ſimul Lector cogitet velim, libros hujus monetæ a nos deferri pauciſſimos, &

nihil

nihil jam fere in bibliopolis reperias, quàm Thomam & Bartolum. *Adeo omnes cruda adhuc ſtudia in Eccleſiam vel forum propellunt, & πρὸς τὰ ἄλφιτα properant. Editiones quoque eorum auctorum, quos ſæpiùs attigi, referre haud ab re deputo, Et Propertio quidem uſus ſum à Scaligero caſtigato, Cornelio Nepote Ingelſtadii anno* XCIII *excuſo, Petronio ex Douſica, Symmacho vero Lectiana recenſione. Debebam ſane & alias editiones adhibere. ſed quid agas? flagitia bibliopoliorum nôſtin? ſexcentos Francofurto libros petas, vix ſexaginta ipſos poſſis accipere. Ingratiſſimus verò ſim, niſi, cui mecum pariter pro Symmachi ſalute gratias habere debeas, exponam. Is eſt Juriſconſultorum ævi noſtri facile princeps Dn.* HUB. GIPHANIUS. *Qui pro ſuo in bonum publicum animo & Manuſcriptum mihi Symmachum longe illum vetuſtiſſimum & bonitatis commendatiſſimæ communicavit, & aliàs quoque ſtudia mea prolixe juvit. Ab eodem & Nepotis* MSS. *& nonnullas Agellii aliorumque lectiones accepi, ut ita, quicquid in libris hiſce noſtris veterum librorum ope auxi vel emendavi, id illius potiſſimùm benignitati debeatur. Nunc igitur, Lector, & pro beneficio hoc honorabis, & porro quoque, ad præclara illa ſua in Jus Univerſum, Ethica & Politica Ariſtotelis, in Ciceronis Officia, Lucretium, Nepotem, Cæſarem, Prudentium, alioſque, commentaria edenda impelles, mihi quoque boni publici cupidiſſimo favere incipies; ſimul, ubi ætas & judicium mihi adcreverit, otium quoque à rigidioribus illis Juriſprudentiæ ſtudiis ſuppeditaveris, ipſum denique*

Symmachum, Propertium, Antiquarum dictionum & ſignificationum libros XIX, *& alia, quæ partim adfecta, partim incohata habeo, exſpectabis. Vale, amice Lector.*

AD-

Digitized by Google

ADMONITIO
AD LECTOREM.

SED & hoc volebam neſcius ne eſſes, amice lector. Orthographiam quam, doctis placere & veterum librorum conſenſu niti intellexeram, non amplecti mihi religio fuit multo maxima. Hinc epiſtula, aduleſcens, umquam, tamquam, eumdem, Delfos, triumfus, volgus, volnero, valitudo, ſuboles, ocius, inluſtris, & alia ſexcenta tanta maluimus: non novitatis quidem (ut illi volunt) ſtudio, vel quòd eruditionem & ſummam in hiſce apicibus ponamus; ſed quòd in unaquaque re, quamvis tenui, veritatem non inſuper habendam ducimus. Notas, quibus frequenter utor, ſic reſolves. v. l. vetus liber. vett. l. veteres libri. v. c. vetus codex. Ms. manuſcriptus. Mss. manuſcripti. leg. lego vel legendum. f. vel fort. fortaſſiis. q. d. quaſi dicat. Neque etiam diſſimulare debui, quum jam ad exodium opus hoc ſpectaret, adlatam ad me fuiſſe novam Petronii Arbitri editionem, omnium illam multo emendatiſſimam & pulcherrimam: cujus architectus Joannes à Wouweren, juvenis ut apparet ingenioſiſſimus, in uno atque altero loco idem pæne mecum cogitavit: de *Feſtra* vero pro *Terra* in eadem plane veſtigia incurrit. Ab eodem quum Gruterum laudari vidiſſem in mutandis illis *Sopitionibus*: etſi numquam Suſpiciones ejus antè videram, de iiſdem quoque jam non nimis laborarem, quòd ipſe ſe illas pro derelicto habere ſcripſiſſet, & ne quid ex iis citarem petiiſſet: non potui tamen, quin eas à Giphanio peterem. Quid fit? reperio in Petronio vicinam, in Catullo vero eamdem plane emendationem cum illa, quam multo antè ipſi Giphanio

&

& Generoſo juveni Gundaccaro Baroni à Tannberg &c. Amico meo ſuaviſſimo, forte mecum in Muſeo meo cœnantibus, propoſueram. Nec, quo multi moro more utuntur, ego indignari potiùs, quàm mihi cum tantis ingeniis conſpiranti gaudere debui. Video quoque, unam atque alteram Nepotis emendationem, à Giphanio jam olim ex v. l. indicatam. Quæ ego heic, ne quis me in plagii ſuſpicione poneret, ingenue profiteri volui: & eorum loco, quæ poſtmodum quoque jam ab aliis emendata reperero, alia alteræ (ſi DEUS favebit) editioni interponam. Jam quæ à me perfunctoria lectione obſervari potuerunt, ſive commiſſa, ſive omiſſa, hæc fere ſunt.

DE ERRATIS,

Typographus Lectori.

Excuſatos habeat nos humanus lector, quòd, poſt omnia folia pro hac ſecundâ editione excuſa, nunc modò ad nos pervanit primæ editionis tabula erratorum. Quæ pro hac noſtrâ editione nunc ita ſe habet.

Pag. 3. *l.* 12. *poſt* contectum *addantur:* Quanquam eruditiſſimus ſcriptor Tertullianus etiam ὑποστατικῶς ſolocem uſurpat. *Sic etiam in lib. de Pallio:* Endromidis, *inquit*, ſolocem aliquâ multiciâ ſyntheſi extruxit. *Cujus loci indicium mihi fecit Rittersbuſius meus.*

Pag. 12. *l.* 2. oneravit. *Sic vett.* honerem *ſcripſêre, pro* onerem; *& contrà*, onorem, *pro* honorem.

Pag. 19. *l.* 20. *poſt* inambulat. *add.* Ennius: magnum pedibus pulſatis olympum.

Pag. 39. *l.* 16. abſciſe. *Quam ſcripturam alibi defendam.*

Pag. 46. *l.* 26. plus minùs à principio paginis quum *&c.*

Pag. 79. *l.* 2. jugulat.

Pag. 105. *poſt. lin.* 19. *add.* Sic *fungi*, pro *pati*, etiam Tertullianus utitur lib. de pallio. Certe (*ſic ſcribit*) habitum vertere, naturæ totius ſollemne munus eſt. Fungitur (*id eſt, patitur*) & ipſe mundus interim iſte, quem incumbimus.

Pag. 123. *l.* 5. *à fin.* putem.

Pag. 115. *l.* 2. *ante* CAP. XII. prævenire.

Pag. 120. *l.* 8. ſe denegat.

Pag. 126. *l. à fin.* 8. ſtipite.

Pag. 128. *capitis* XIX *lin.* 1. Villa Tiburtis *&c.* *iſtis debet fieri initium capitis, ſicut male factum eſt illis,* VERBA hæc *&c.*

Pag. 134. *in ſummario* CAA. II. *pro* Paſſive, *lege* Paſſim.

Pag. 151. *l.* 5. factu facilem tuo imperio promoveris.

IN VERISIMILIA
Gaſparis ScioppI, Franci,
EPIGRAMMA

Clariſſimi viri D. Scipionis Gentilis, IC.

QUos mihi de Critice Scioppi ingenioſe legendos
  Miſiſti libros, legi avide ac propere:
Sic propere tamen, ut (modò ſi Deus ultor abeſſet)
  Hoc tibi ab ingenua dicere mente queam;
Non veriſimile, at cortinâ verius omni
  Adſurget Scioppi jam ingenium omne tuâ.

Ad V. Cl. Dn. Scipionem Gentilem, *J.C.*, POETAM *& Philologum,*

Gaſparis SchioppI, Franci, Hendecaſyllabi.

Piorum decus atque ocelle vatum
SCIOPPI, flos hominum elegantiorum,
Men' noſtros adeo tibi libellos,
Illos ab nimium impios libellos,
Plenos ruvis & inficetiarum,
Majorum tibi gentium probaſſe
Cenſori? atque tuum tuliſſe punctum
Cenſoris poterant, meraque gerræ?
O factum bene! & ô mihi beati,
SCIPIO candide, nuntii ex nota iſta!
Quos Rittershuſius tuus meuſque
Statim Scioppiada referre veſtro
Jucunda voluit nimis papyro,
Tanta ut lætitia ipſus exſiliret,
Quantum qui pote maxima exſilire.
Nam cur non mihi ſit bene ac beate

Quem

Quem tu judicio beare veſtro
Et ſuffragio es auſus invidendo,
Illo, quo ſe hominum politiorum
Stare quiſque aveatque geſtiatque,
Suaſque huic Critico probare opellas.
Quid ô quantum hominum politiorum
Me ſerenius eſt lubentiuſve?

ALIUD,

Conradi Rittershuſii, IC.

FUnere non uno Critice jam meſſe clientum
Per inclutam Germaniam ſilebat:
Et, niſi fata vetent demergi funere Divam,
Jam ſpiritum fere ultimum trahebat.
Scioppius ecce Deam Criticos ſcribendo libellos
Vitæ redonat atque ſanitati.
Symmachus hinc celſum caput effert lætior, & jam
Hunc ſoſpitatorem novum fatetur.
Huic grates canit auctorum genus omne bonorum,
Quamque accipit vitam invicem dat olli.
Felices te illi; felix tu illis quoque, *Scioppi!*
Sic pergeſis de pluribus mereri.
Me quoque cum ſocium laudis dignaris habere,
Scio, tibi à me quanta debeantur.
Eſt equidem à nobis tibi lampas tradita: Sed tu
Præcurre age ipſos, quod facis, magiſtros.

ALIUD EJUSDEM.

Ad Symmachum ScioppI ope reſtitutum.

ΔΕξιὸν ἀτρεκέως νῦν; Σύμμαχε, σύμμαχον εὗρες.
Σχοππιάδης γέ σοι τραύματα πλεῖστ᾽ ἀκέσας,
Ἡμιθανῆ τὸ πρὶν, σῶον πάλιν ἦγε φόωσδε.
Χαῖρε, σὺ ἰητρῷ γνοὺς χάριτας μεγάλας.

Hoc

Hoc eſt, interprete Scioppio ipſo.

Symmache ne dextrum tibi Symmachon invenisti.
Nam tua Scioppiades volnera multa levans,
Semineci quondam lucem redditque ſalutem.
Salve, tuo gratam gratiam habens medico.

Ignatii Hannielis Marchici, Elegidion,

Ad CL. Juvenem Gaſparem Scioppium Fr., Criticum ingenioſiſſimum, & amicum certiſſimum.

S*cioppi*, flos invenum, Critici ſpes magna Senatus,
Scioppi, ornamentum & Franciæ ocelle tuæ.
Quam tibi mentem animi calcaria ſubdere primæ
In flore ætatis tam generoſa putem?
Ut conclamata auctorum tot vulnera princeps
Ad ſaniem tamdem ſana coïre velis.
Nil operæ parcaſque tuæ, modò priſtinum honorem
Reſtituas Latiis rite magiſteriis.
LibrarI & ſi quam maculam manus inſubida illis
Adſperſit, SpongIs tollis eampſe tuis.
SpongIs, quas Latio quondam de fonte petitis
Phœbus vatificis ipſe rigavit aquis.
Sic tandem, ut facie niteant extemplo recente,
Primori quemquem tu digito attigeris.
Symmachus & tandem nunc defæcatior exit,
Doctorumque redit lætus in ora virûm.
Sic ſtudio ille tuo, qui larva umbratilis antè
Errabat, medio ut noctua cæca die,
Vix ullis notus mortalibus, aut magnis dIs,
Perpetuumque fere in nocte ſoloce ſedens:
Jam primum tenebras procul à ſeſe haſce ſoloces
Spernit, & apricis gaudet habere locis.
Oſtenditque ſibi haud filo conſcripta ſoloci
Carmina, vel ſi quid ſcripſit epiſtolicum.
Et tibi *Iuretus*, gaudet tibi *Lectius* ipſe, &

Lau-

Laurea gratantur ſerta tuo capiti.
Quernea nam civis ſervati ſi una corona eſt
Merces, næ tibi jam laurea ſola facit.
Quippe etenim majori iſtoc mactandus honore es,
Quo conſul multis civibus antevenit.
Et tamen haut potuit ſine hac tua ſiſtere comis
(Quæ tua mens animi eſt) atque benigna opera.
Callimachus quoque *Romanus* ſua vulnera ſentit,
Sentit itemque ſibi multa levata *Nepos*.
Innumeri ipſum alii vero omnes ore fatentur,
Te auctoremque ſuæ dicere lucis amant.
Quos tibi pol veſanus ego niſi grater honores,
Et niſi pro noſtra hoc imperem amicicia,
Et ſubdam ſtimulos, ut, dum tibi genua vireſcunt,
Atque labori iſti ſuppeditare potes;
Concinnes veterum promiſſa vocabula patrum,
Quin tu age *Plautinas* edis *Epiſtolicas*!
Inque tui Muſam teneri commenta *PropertI*
Ipſe tener doctis ponis inante viris?
Nam tibi tempus erit, & adeſt, quo te irretitum
Tentabit tricis Diva Themiſta ſuis.
Tum tibi *Juris* erit gemini ingens æquor arandum,
Nec dabitur levibus poſſe vacare jocis.
Aureola tamen hanc lauri penſare coronâ
Ut Divam cernes, æquior eſſe voles.
Quam cupio miſere lucem Matuta citatis
Nobis pulcra velit deproperare rotis.

Joannis Ladiſlai

EPIGRAMMA.

N*Ata fave ſine matre, & vos Heliconis alumnæ,*
In veſtrum poſtquam cœperat ire nemus
Scioppius. *En cultis paſſim quæ legit in hortis,*
Nunc ea fert Critico primitias Genio.
Quo nativa ſoli, v eſt riſve aliena viretis

** Di-

Dignoſcit, frugem cernit & à vicio.
Et quoniam ſumunt veri ſimulata colorem,
Illa probat, vero qua propiora videt.
Nec temere hoc: gemino ratio fundamine conſtat,
Hinc antiqua manus firmat, & inde criſis.
Non nego, habent gnaros tempe Muſaa colonos,
Artis ab hoc ſpirat non minus ingenio.
Laurea cui Phœbo nuper collata volente,
Cum natus paulo plus tria luſtra foret,
Tiro, ſed aterna redimitus tempora fronde
Pegaſidum plauſu concinit arte melos.
Quin etiam Aoniis runcare agreſtia cultis
Acer, & obſtantum tela hebetare virûm.
Erricus *qualis latranti nomine, ſuetus*
Figere dentem operis, Pieri culte, tuis.
Ut modo Lipſiaden *laceravit, forte viator*
Prateriens ceu vineta cucullifonus.
Macte arvis Scioppi *Muſarum nate colendis,*
Et ſtudium vana ne ſine voce premi.
Cui Phœbus, Muſa, Pallas, Geniuſque ſecundi,
Zoilus hunc ſpurco ladere dente queat?

IN VERISIMILIUM

Gaſperis Scioppii, Franci,

EPIGRAMMA.

INnumeras voces impune annoſa vetuſtas
Et rudis inſciti cura magiſterii
Turbarat Latio: carieſque inimica lacunis
Dempſerat abſtruſis optima quæque libris.
Utraſque emendas, *Scioppi*, non ultimus inter
Et Veneris myſtas & Sophiæ Auſoniæ.
Namque ſtat illarum poſt ſæcula tanta virorum
Prompta vindicias aſſeruiſſe manu;
Et tenebris tandem poſtliminioque revectas

Iſtas

Iſtas Auſonio reſtituiſſe ſolo.
Pignora ſic capitum morti devota reducit
Dux noſter Scythico victor ab orbe redux.
Aſt has magonum quas infelicior ardor
Cœperat, auſpicio jam meliore reples.
Et Critices creperos diſſenſus ingenio acri
Explanas, liquida judiciique fide.
Hos, Juvenis, *Veriſimiles* qui legeris orſus,
Vera viri poſthac quanta futura putas?

Scribebam Altorfi Noricor. Adolphus Boye à Nortſtrand Holſatus L. L. ſtudioſ. Anno M. D. XCVI. III. *Junii.*

INDEX

Verborum & Phraſium, quæ in his VERISIMILIBUS vel auctoribus reſtituuntur, vel alioquin explicantur.

Prior numerus librum denotat: alter, quem punctum ſequitur, libri caput.

ABIRE, pro mori. Abitio, mors. Lib. 2, cap. 14.
Abſque illo foret. 3, 13.
Adcommodat pro adcommodatur. 2, 1.
Adcredere pro credere. 3, 4. 12.
Adeſſe pro Eſſe. 3, 4.
Adjurare alteri partem prædii. 2, 13.
Adorare, quid propriè. 1, 8.
Adoro, pro oro. 3, 4.
Adſto pro ſto. 3, 4.
Adventus homo, qui advenit 2, 2.
Adventor pro hoſpite. 2, 19.
Advertere pro animadvertere. 3, 3.
Advertendum eſt ea. 3, 3.
Adultus calor. adultum incendium. 3, 17.
Aequimanus περιδέξιος: idem quod ambidexter. 4, 19.
Aequus ad ædilicium modum. 4, 16.
Aetas pro adoleſcentia. 2, 20.
Aetas in meridie eſt. 4, 16.
Aetas tua, pro tu. 4, 13.
Aetatis tuæ homines, h. e. tui. 4, 13.
Aliarum rerum, quantum ad alias res attinet. 1, 19.
Amor Herculis, id eſt, amans Hercules. 4, 16.
Anteambulones, cur clientes dicti. 1, 18.
Anteceſſus, pro eo qui anteceſſit: probum verbum

bum & vetus. Gloſſarium B. Germani : Antecesſus, ἔμπροσθεν βαδίζων. 2, 2.
Antiquitas pro amore. 2, 17.
Araneis plena, dicuntur vacua. 3, 20.
Argutum omen pro ſternutatione. 4, 12.
Argutus, varia ſignificat. 4, 12.
Aridus ſonus. Aridus Amor. 4, 12.
Artibus nullis decus, pro, nativo. 1, 18.
Artifex formæ. 1, 18.
Auſpicium literarum facere. 3, 17.

BENE. αὐξητικὸν. bene multus, magnus. 1, 16.

CAdere vanum, & pro vano cadere. 3, 20.
Cædere ſaginam. 1, 9.
Canoroſus, canorus. 4, 14.
Carpere hortos, id eſt, fructus in hortis. 4, 4.
Caſcus, pro veteri, antiquo. 1, 7.
Caſſa fides. 1, 19.
Catomo dare. 2, 18.
Cedere pro concedere, permittere. 2, 6.
Celebrare, frequentare, frequenter adire locum. Celebris via. 2, 10.
Celebritas ædium, pro atrio. 2, 10.
Certe, cum modo infinitivo, ſicut ſcilicet, videlicet &c. 1, 16.
Certe, pro certò. 4, 18.
Ceterarum rerum, quantum ad ceteras res attinet. 1, 19.
Cluuis, pro cluis. 2, 16.
Collis, pro colle Heliconio ſive Helicone. 2, 16.
Componere, pro ſimulare. Componere pacem. Compoſita verba. 4, 12.
Compoſita verba pro ſimplicibus. 3, 4.
Concelebrare pro diffamare. 2, 10.
Conjunctus, præditus re aliqua. 4, 12.

Contra mores facere. 4, 4.
Cordi eſſe alicui. 2, 11.
Corneum ſpecular, pro laterna. 3, 2.
Cornu. laternæ cornu. 3, 2.
Criminoſus, activè & paſſivè capitur. 4, 4.
Crypta pro ciſta in qua Deorum ſacra abdita. 2, 2.
Cum illo mihi multa ſunt &c. 4, 8.
Cupiunt veſtri pro veſtri cupidi ſunt. vos cupiunt. 1, 11.
Currus pro navi. 2, 12.
Cuſtodes ponere. 4, 2.

DARE catomo, catenis, cruci. 2, 18.
De, particula αὐξητική. 4, 18.
De nomine, id eſt, ea de cauſſa. 2, 6.
Decerpere hortos, id eſt, fructus in hortis. 4, 4.
Dedicare pro indicare. 3, 8.
Defigere ſtupore. 3, 17.
Deliberare pro conſulere aliquem. 2, 10.
Deliberatus, ûs. pro deliberatione. 2, 10.
Deliquare vel Delicare. 3. 8.
Demagis pro valde. 2, 19.
Detergere venena pro abigere, depellere. 4, 16.
Deüti. 4, 18.
Dicit eſſe cultor pro dicit ſe eſſe cultorem. 4, 15.
Digerere venena. 4, 16.
Diligentia pro amore. 2, 5.
Diſcidium. 2, 8.
Diffidere. 2, 8.
Diffidium. 2, 8.
Dominus quæſtionis. 3, 11.
Donicum, pro donec. 4, 18.
Dormit Venus, funerata virili nota. 3, 20.
Dubioſus, dubius. 4, 14.

EFFUNDERE oculum pro eruere. 3, 18.
Emancipare ſibi aliquem, vel ſe alicui. 2, 1.

Enuntiare, propriè ſecreta aperire. 4, 2.
Eſſe. Multa mihi cum illo ſunt. 4, 8.
Eſſe magno periculo, dolore &c. 4, 14.
Ex hac nota, id eſt, talis. 2, 18.
Exactus, quid proprie. 1, 7.
Excutere lumbos, in rebus Veneris. 3. 16.
Exigere, verbum ſtatuariorum. 1, 7.
Exilium ire, mitti, proficiſci. 4. 18.
Ex ſummis opibus niti. 4, 5.
Extremus pro minimo. 1. 18.

FACEM ſubdere. 3, 11.
Famelicoſus, famelicus, 4. 14.
Faſcino morderi. 1, 17.
Feſtra, oſtium parvum. 2, 18.
Figura pro pulchritudine. 3, 10.
Figura hac, id eſt, hoc modo. 3, 10.
Fiſci depoſitum. 2, 7.
Flagrare aliquam, pro amare. 4, 16.
Floccis ſplendere. 1, 2.
Fluctuare pro inquietari, moveri. 3, 16.
Fortaſſis, cum infinitivo. 1, 16.
Frequentare aliquem verſu, id eſt, celebrare. 2, 10.
Fucinus. 1, 17.
Fungi pro pati. 3, 6.
Fuuit pro fuit. 2, 16.

GERUNDIA in dum pro participio. Advertendum eſt ea, vigilias agitandum eſt. 3, 3.
Gradus gladiatorum. 4, 16.
HILUM, id eſt, aliquid. 2, 8.
Homines alicujus. 2, 19.

IN, parelcon. in gravi valetudine adfectus. 1, 4.
Inante ponere pro anteponere. 4, 12.
Incredibile quantum pro valde. 1, 15.
Ingenuus color. 1, 18.

Ingratiis. 1, 20.
Immanequantum, id eſt, valde. 1, 15.
Intendere, pro augere. 3, 4.
Invidioſus. varia ejus notio. 4, 4.
Invocatus, non vocatus. 4, 2.
Ire, pro eſſe. 3, 14.
Iunctus malitia, id eſt, præditus. 4, 12.

LATERNÆ cornu. 3, 2.
Latores, pro tabellariis vel nuntiis. 4, 8.
Lentus, multa notat. Lentus debitor. 3, 14.
Libido pro voluntate. 1, 19.
Lumbos movere. Lumborum uſus in Venere. 3, 16.
Lumen tuum, id eſt, tu. 2, 6.
Lumen pro amica. 2, 6.
Lux mea, amatorium. 2, 6.

MACULET, pro maculetur. 1, 2. 2, 1.
Magni amici. 1, 8.
Mendæ, qua ratione in auctores irrepſerint. 1, 7. 2, 14. bis. 17. 18. 19. 3, 5. 17. 4, 1. 8. 17.
Mirumquantum pro valde. 1, 15.
Mora. 4, 18.
Mores, pro legibus. Malo more, ſine more. contra mores aliquid facere. 4, 4.
Movere, pro moveri. Movit ex urbe. 2, 5. 3, 8.
Multa virtutum. 3, 1.
Mutare, pro mutari. 3, 8.
Myſtica ſacra. 2, 2.

NATURÆ decus, id eſt, nativum. 1, 18.
Nemeſis, nimiæ felicitatis & ſuperbe dictorum vindex. 1, 18.
Nihilum, media ancipiti. 2, 8.
Nimiumquantum, pro valde. 1, 15.
Nomine alio: pro, alia de cauſſa. 2, 6.
Non quo, pro non quod. 4, 15.

Nota. Ex hac nota, id eſt, talis. 2, 18.

OBTENTU alterius quid facere. 2, 19.
Occaſus ſol. 2, 2.
Operari, pro ſacra facere. 4, 10.
Opibus ex ſummis niti. 4, 5.
Opulens & opulentus. 2, 3.
Otium, pro tempore quod ſtudiis impenditur. 2, 17.
Otioſi, pro ſcolaſticis. 2, 17.

PERFIDIOSUS, perfidus. 4, 14.
Periculum. In periculo inſcribere. 4, 18.
Περιδέξιος, æquimanus, etiam in Gloſſario vet. 4, 19.
Perire aliquo, amare. 1, 18. 3, 10.
Perſeverare amorem. 2, 5.
Plantis contingere ſidera. 1, 16.
Plerum, pro plerumque. 1, 19.
Polluere famem; fortaſſis. 1, 9.
Ponere cuſtodes. 4, 2.
Ponere pacem, arma capere. 4, 12.
Ponunt venti. 2, 1.
Porro, Quirites. Porro, clamare. 1, 16.
Poſſe, quaſi parelcon. Poſſent capi pro, caperentur. 2, 20.
Præfiſcini. 1, 17.
Prælabi, pro præterlabi. ſic præfluere. 1, 17.
Præluſiones ludicræ. 3, 3.
Priùs antequam. 3. 10.
Profari, vatibus & oraculis proprium. 2, 18.
Proprius, pro diuturno. 2, 3.
Propter quem, id eſt, juxta quem. 1, 8.
Proquam res poſtulat. 2, 1.
Proſodiæ neglectæ exempla. 2, 8.
Puncta, pro ſuffragiis. Puncta ferre. 2, 7.

QUA, pro ubi. 1, 16.
Quam, pro, priuſquam. 3, 10,

Quantum terra tegit. 1, 12.
Quod pro quamvis. 1, 10.
Quod utinam. optandi formula. 1, 3.
Quod niſi, pro niſi. 1, 3.
Quod etſi, pro etſi. 1, 3.
Quod παρέλκον. 1, 3.

RAPERE occaſionem. 1, 9.
Recidivus. 4, 10.
Reddere pro probare. 1, 4.
Redire pro eſſe. 3, 14.
Redivivus. 4, 10.
Reges paraſitorum. 1, 8.
Res pro argumento. 1, 4.
Revocare pro vocare. 3, 4.
Ridiculoſus. 4, 14.
Rorarius miles. 4, 6.
Rudis, verbum ſtatuariorum. 1, 7.

SAGINAM cædere. 1, 9.
Salutare Bacchum, id eſt, bibere. 1, 8.
Salutator. 1, 8.
Sane ſapere. 2, 14.
Scilicet, cum infinitivo. 1, 16.
Sedat mare, pro ſedatur. 2, 1.
Sedere pro eſſe. 3, 14.
Si particula eleganter omiſſa. 3, 13.
Signum pro ſtatua. Signifex. 1, 7.
Silvæ pro arboribus. 3, 4.
Solox, pro craſſo. 1, 1.
Sternutatio, omen. 4, 12.
Strangulare pro abſcondere. 1, 16.
Sub divo. 4, 2.
Sub veſte aliquid narrare. 1, 18.
Succeſſa, quæ ſucceſſerunt. 2, 2.
Suffragia ferre, id eſt, laudari. 2, 7.

Syn-

Syncopæ apud poëtas. 2, 16.

TALARIA lex. 2, 4.
Tegi terra, loco, id eſt, eſſe in terra. 1, 12.
Teſtor pro prædico. 3, 20.
Titionibus pingere, ſcribere. 2, 14.
Tornus. Torno exigi. Tornatus. 1, 7.
Tua fide dic. 1, 4.
Turbare, abſolute pro turbas dare. 2, 2.

VACUUS lectus. 3, 20.
Vberare pro augere. 2, 5.
Venire, pro eſſe. 3. 14.
Venus dormit, eſt quieta. 3, 20.
Ventus, qui venit. 2, 2.
Verſare aliquem, id eſt, angere. 4, 13.
Vertere pro verti. 1, 8.
Vi vincere. 4, 18.
Videlicet, cum infinitivo. 1, 16.
Vita pro amica. 2, 6.
Vita tua, id eſt, tu. 4, 13.
Vitatio eſt mihi illius rei. 1, 9.
Vitreus pro claro, ſplendido. 1, 17.
Volvendia dies. 2, 17.
Voluptas pro voluntate. 1, 19.
Vt, ευκτικὸν pro utinam. 3, 2.

XENIA amicorum. 4, 17.

AUCTORUM SYLLABUS,

Cùm veterum, tum recentiorum, qui in Veriſimilibus hiſce vel corriguntur, explicantur & augentur, vel alias laudantur.

ACcius. 4, 18. *Correctus.* 4, 12.
Adrianus Turnebus. 3, 4. 16.
Afranius emendatus. 2, 20.
Agellius. 4, 4. *tentatus.* 1, 2. 4, 16.
Alciatus reprehenſus. 3, 2.
Angelus Politianus. 1, 14.
Antonius Auguſtinus reprehenſus. 3, 8.
Apuleïus. 1, 3.4.7. 3, 17. 4, 12. *correctus.* 3, 17.
Arnobius. 1, 17.
Auſonius. 1, 20. 4, 19.

BARNABAS *Briſſonius.* 1, 16. 2, 6. 4, 10.
Biblia ſacra. 2, 2.

COElius *ad Ciceronem.* 4, 14.
Ceſar. 1, 16.
Cato. 2, 10.
Catullus. 1, 6. 2, 8.12.14. 3, 2.4.16. 4, 12. 15. 18.
Chariſius. 1, 17.
Cicero. 1, 1.3.7.15.16.19. 2, 1.5.10. 3, 3.14. 4, 4.8.10.12.15. *Gloſſa ex eo ſublata.* 1, 19.
Cicero Filius. 2, 2.
Cornelius Nepos. 2, 3. *Emendatus.* 1, 20. 2, 3.10. 3, 4.8.12.20. 4, 2.8.14.18.
Cunradus Rittershuſius JC. 1, 9.19. 2, 4.12. 3, 1.3.17. 4, 11.15. *ejus emendatio rejecta.* 1, 16.

DIO-

DIONYSIUS *Lambinus reprehenſus.* 1, 8. 2, 4. 3, 8.

FESTUS. 2, 14. 4, 7. *Correctus.* 1, 1. 2, 9.
Franciſcus Hotomannus JC. 1, 19. 2, 4.
Franciſcus Juretus JC. 1, 1.3.7. *ab ejus ſententia diſceſſum.* 1, 1. 2, 1.3. 3, 17.
Fulvius Urſinus. ejus emendatio reprehenſa. 3, 8.
alia probata. *ibid.*

GLOSSÆ *veteres.* 2, 2.9. 4, 19.
Godeſcalcus Stevechius JC. 1, 7. *reprehenſus.* 1, 4.
Gulielmius Canterus. 1, 11. 2, 20.

HIERON. *Mercurialis.* 3, 4.
Homerus. 3, 10.
Horatius. 1, 7.8.15.16.17. 2, 1.2.6.20. 3, 2. 4, 6.12.15.
Hubertus Giphanius JC. auctor Indicis Lucretiani. 1, 1.2.16.17.20. 2, 3.8.10.12.14. 3, 2.4.6.8. 4, 2.8.15.16.

IACOBUS *Lectius JC.* 1, 1. 2, 17. *abeo ab ipſius ſententia.* 1, 17. 2, 1.5. *bis.* 13.
Iacobus Scheckius JC. 3, 18.
Ianus Douza, Nordovici dominus, à me notatus. 1, 4.8.16. 2, 2.4.10.14. 3, 18.
Ianus Douza, filius. 1, 8. 2, 14.
Ianus Gruterus JC. 2, 14.
Ianus Gulielmius. 1, 17.
Ianus Mellerus Palmerius. 1, 16.18. 2, 1.2. 3, 8.13. *reprehenſus.* 4, 6.
Ignatius Hanniel IC. 1, 2.12. 2, 14.
Incertus Horatii interpres. 1, 17. 2, 7.
Ioachimus Camerarius. 1, 8.
Ioannes Auratus. 1, 14.

Ioannes Ladiſlaus. 4, 14.
IOSEPHUS *Scaliger.* 1, 6. 2, 6.8. 10.14.19. 3, 2.16.
Ioſias Mercerus. 3, 10.
Iſidorus. 1, 3. 4, 10.
Iuſtinus. 1, 15.
IUSTUS *Lipſius.* 1, 8.16. 2, 6.10. 4, 6.
ejus lectio refutata. 1, 6.
Iuvenalis emendatus. 4, 10.

LÆVINUS *Torrentius.* 1, 19.
Livius. 1, 3.15. 3, 17, 4, 2.8.
Lucæ Fruterii Brugenſis pro Giphanio carmen. 3, 8.
Lucillius. 1, 20. 3, 14.
Lucretius. 1, 3.4.7.8.10.16. 2, 10.12.18.20. 3, 6.12. *ejus lectio contra Giphanium adſerta.* 3, 4.
Ludovicus Carrion. 1, 7.

MACROBIUS. 1, 10.
Manutius reprehenſus. 3, 18.
Martialis. 1, 18.
Melior Kochius Francus IC. 2, 4.
Muretus. 1, 8.17. 3, 14.16.

NAZARIUS *Panegyrico.* 3, 17.
Nonius Marcellus. 2, 3.9. 3, 14. *reprehenſus.* 1, 8. 2. 10. 4, 12. *Correctus.* 2, 10.20. 4, 12.16. *bis.*

OVIDIUS. 1, 6.7. 3, 4. 4, 6.15.
Oppianus. 2, 12.

PALLADIUS. 2, 5.
Pandectæ Iuris. 1, 4. 3, 18. 4, 4.
Paullus Meliſſus Francus. 4, 15.

Digitized by Google

Petronius Arbiter. 1, 18. 3, 16. 4, 12.14. *interpretatus.* 2, 2. *emendatus.* 1, 16.
Petrus Faber. 3, 4. 2, 2.14.18. *ejus lectio adſerta.* 1, 4.16. *bis.*
Plautus. 1, 9.10.16.17.20. 2, 1.2.8.14.19. 3, 10.13. 4, 5. *declaratus.* 2, 4. *verſu auctus.* 3, 3. *correctus.* 3, 3.4. *defenſus, correctus & illuſtratus.* 1, 8. 2, 4.
Priapeia. 1, 10. 3, 4.16. 4, 4. *tentata.* 1, 7. 3, 2.
Propertius. 1, 4.7.10.17. 3, 1.2.4.14. 4, 2. *illuſtratus.* 2, 6.20. 3, 4.10.16. 4, 4.6.12. *correctus.* 1, 10.14.18. 2, 6. 3, 20. 4, 4.6. *ejus lectio adſerta.* 1, 6.12.14.
Pſeudo-Ciceronis auctor taxatus. 2, 2. 4, 14.15.

ROBERTUS *Titius caſtigatus.* 1, 12.14. 3, 6.14.18.

SALLUSTIUS. 1, 4. 3, 10.14. 4, 6.
Seneca. 1, 8.15. 3, 8. 4, 8.
Statius. 1, 16.
Suetonius. 4, 8.
Sulpitia Satyra. 2, 10. *emendata.* 2, 16.
Symmachus. 1, 8.15.19. *Correctus.* 1, 1.7.9.11.15. 17.19. 2, 1.3.5.7.9.11.13.15.17.19. 3, 1.3. 5.7.9.11.13.15.17.19. 4, 1.3.5.7.9.11.13.15. 17.19. *Auctus.* 1, 3.5.9.11.13. 2, 13. 3, 9. 15. 4, 3.7.9.11.13.15.17.

TERENTIUS. 1, 3.6.8.10.16.19. 3. 8.13. 4, 15.
Tertullianus. 3, 2.
Theodorus Pulmannus. 4, 10.
Titinnius. 1, 16.17. 3, 10.

VALENS *Acidalius Med.* 1, 2.
Velleii Paterculi lectio adſerta. 3, 18.
Virgilius. 1, 8.10.17.19. 2, 8.20. 3, 3.4.16. 4, 12.15.

No.

Nobiliſſimo viro, Domino

MARQUARDO

FREHERO, JC.

Et Anteceſſori, ac Philologo præclariſſimo,

S. P. D.

GASP. SCIOPPIUS, FR.

E*T eruditio tua unica, Marquarde Nobiliſſime, & ſumma in omnes humanitas, omnium in te animos oculoſque convertit; dum in ſuprema & vetuſtiſſima Germaniæ noſtræ Haidelbergenſi Academia ſupremum te Anteceſſorem communibus aulæque & Academiæ ſuffragiis evectum nemo non gratulatur, Deumque iſtos honores tibi fortunare cupit. Et ego quidem, qui te unum ex omnibus tuamque eruditionem maxime obſervare ſoleo, nullam commodiorem animi in te mei teſtificandi viam reperire potui, quàm ſi operarum mearum primicias quodam jure tibi debitas offerrem. Primus enim me conſilio & opera tua ad hoc ſtudii genus perduxiſti, libriſque, queis ad eam rem uſus erat, prolixe juvare voluiſti. Benigno itaque animo hunc primum* VERISIMILIUM *meorum librum accipies, & ut longe melioribus mactandus fuiſſes, muneris tamen hujuſce tenuitatem non aſpernaberis. Bene vale, vir præſtantiſſime, & Scioppium porro quoque in tuorum cenſu ſcribe. Ingelſtadio.*

VE-

VERISIMILIUM GASPARIS SCIOPPII, FRANCI, LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Duûm locorum Symmachi emendatio. Solox. Soloci filo elaboratus, phraſis quæ hactenus latuit protrahitur. Feſtus nova interpunctione ſanatus.

PAucos omnino, ſi Græciæ divitias cum Romanorum velimus egeſtate contendere, in Lingua Latina ſcriptores habemus. & eorum quidem, quos barbarorum in Italiam irruptiones, blattarum quoque & tinearum injuriæ, ſuperſtites eſſe voluere, alii majore ſui parte truncati & mutili, alii adeò ab inficetis, ne quid gravius dicam, librariis & correctorum audacia depravati circumferuntur, ut ſi Orcus pater illos à ſe amittat, *ut incipiant in corpora velle reverti*, vix futurum rear, ut ſua ſibi ſcripta poſſint adgnoſcere. Quo magis laudanda & imitanda nobis eorum eſt induſtria, qui vel manu exaratos codices in communem ſtudioſorum uſum magno cum ſumptu comparare, vel ex iiſdem ſummo cum ſtudio depravatos operis typographicis ſcriptores ſanare & emendare conantur. In eorum numerò cùm me eſſe velim, melioris auctores notæ, quantum per ſeveriora ſtudia licet, legere ſoleo diligenter, &, ſi quando vel depravatos vel obſcuros & lucis indigere exiſtimo, ad juvandos illos ingenii quamvis macilenti acumen intendere. Quod feliciter ſecuſve

adſequar, veſtrum, viri docti, quibus aceto cor acre eſt in pectore, eſto arbitrari. Numquam tamen, ſat ſcio, Symmachum, probum mehercule ſcriptorem, & minime fucatum, ſi quemquam alium, utraque librorum peſte, blattarum dico & indoctorum librariorum opera, periiſſe negabitis. Et docuerunt hoc jam olim, viri Juris & politioris literaturæ cognitione clariſſimi, *Fr. Juretus & Jac. Lectius.* Qui manuſcriptorum librorum ope cùm multa ejus vulnera ſanarunt, tum lacunas, quarum numerus ſane magnus, non infeliciter ſupplevcrunt. Docebo & ipſe, ſi dI favebunt, paſſim his libellis. Nondum enim tam inſignite depravatus ſcriptor perſanari & ad priſtinam valetudinem adſpirare potuit. Nec aliter exiſtimare poſſum, quotiens recogito, tot tantoſque viros, qui multi in emendandis auctoribus fuerunt, inſigne mendum in ipſo veſtibulo, prima inquam epiſtola, quaſi dormitantes & aliud agentes præteriviſſe. Nam quis obſecro vel intellexit, vel intellegere potuit, quod inibi legitur:

Quare elaboratam ſolatii filio accipe cantilenam.

Verba heic multa de emendatione mea facere? Id verò addam ad compendium: atque ut locus iſtic præterhac poſſit intellegi, ſic mecum legendus tibi erit:

Quare elaboratam ſoloci filo accipe cantil.

Cantilena ſive carmen ſoloci filo, ad eam faciem dicitur, ad quam craſſa quid Minerva factum dicimus, & Cicero lib. 9. epiſtol. orationem ſuam pro Deioaro craſſo filo ſcriptam ait. *Solox* autem adhuc etiam eruditi ſubſtantivum eſſe (ut Grammatici loquuntur) & lanam craſſam notare perperam exiſtimarunt, Feſti loco hoc inducti:

Solox,

Solox, lana craſſa, vel pecus lana conteſtum. Titinius: Lana ſoloci ad purpuram data. & Lucillius: Paſcali pecore & montano, hirto, atque ſoloce.

Nam & exempla vincunt, quæ inibi ſequuntur, id verbi *Adjectivum* eſſe, ſiquidem lanam ſolocem & pecus ſolox conjungit. Quare ut me doctore cuncti poſtmodùm ejus voculæ notionem condiſcant, ſic diſtinguo:

Solox lana, craſſa: vel pecus, lana conteſtum &c.

Solox enim lana, ut dixi, eſt craſſa lana, & ſolox pecus eſt craſſum pecus, hoc eſt, lana ſoloci ſive craſſa contectum. Vide nunc & puta mi lector, quantum Ms. illi Symmacho, qui penes V. Cl. Hub. Giphanium adſervatur, tribuendum ſit, cujus fide alterum quoque in eadem epiſtola locum corriges. Ubi enim legitur:

Silentium mihi niſi præſtiteris, imperabis: quod nihil abs te metuamus probare. En tibi aliud intimationis meæ prodo ſecretum.

noli quæſo doctiſſ. Juretum audire, qui numquam æque in Symmacho fruſtra mihi fuiſſe videtur. Omnino ſincerus heic eſt manuſcriptus:

Sil. m. n. p. imperabis. quàm nihil abs te metuam vis probare? En tibi aliud alucinationis meæ prodo ſecretum adhoc ſolicitus de priore.

ſenſu plano & aperto. q. d. præter ſuperius carmen, quod de rebus noſtris confeceram, ecce aliud tibi, quo alucinans & dubitans Baulorum hiſtoriam complexus ſum &c. Ceterùm de pleniore ejus loci intellectu aliàs dicendi locus dabitur.

CAPUT II.

Agellii locus mendoſiſſimus tentatus. Melos in Acidalii obitum.

AGELLII tui noctes Atticas, CL. GIPHANI, à te jam olim illuminatas, & communi bono nequiquam promiſſas, avide exſpectavimus. Et ni occupationes ego tuas noſſem, quæ te ab his nugis cottidie avocant, grandem profectò tibi dicam ad tribunal Criticum ſcribere non vererer. Tantum verò abeſt, ut tuarum tibi curarum & negotiorum prætextu cunctationes illas probem, ut ſeriò magis & meo & doctorum plerorumque omnium nomine te flagitare, & ad promiſſi illius ſatiſque jam exacti operis editionem velim impellere. Atque interim dum tu, quid faciundum videatur, conſulis, Agellii locum illum, quo de ſententiam meam requirebas, tentabo. Libro 18. cap. 12. infit ille:

Id quoque habitum eſt in oratione facienda elegantiæ genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram agentia ponerent, ac deinde vice hac inter ſeſe mutua verterent. Terentius in Comœdia:

Pallium, inquit, face ut ſplendeat.

Nonne hoc impendio venuſtius gratiuſque eſt, quam ſi diceret, ne maculetur? Plautus &c.

Heic in verſu, quem exempli loco adducit, exemplum deſiderari, ſtatim, ut ſcis, odoratus ſum. Vult enim docere, *Maculet* pro *Maculetur* poſitum. Atque hoc judicium & veritas reponit. reliqua loci fere inſanabilis medicina à manuſcriptis tuis petenda: quorum optimus:

verte-

verterent. Inventus in comœdia : pallium inquit. S. flocci ut ſplendeant Nonne &c.

alter :

*verterentur * in comœdia pallium inquit : S. flocci ut ſplendea nunc &c.*

tertius :

verterent. juventus in comœdia pallium inquit flocci ut ſplendeam nonne &c.

Monſtra verborum ! quæ tamen ita conſtituam, niſi tu nevis :

verterent. Ut in comœdia : Iuben tu pallium, inquit. S. floccis ut ſplendeat, ne maculet.

Pro *verterentur* feci, *verterent ut.* pro *Iuventus*, *juben tu.* τὸ S. perſonam hæc proferentem denotare exiſtimo. *Floccis ſplendere*, id eſt, eſſe ſplendidis floccis. quales pexæ ſunt veſtes. Atque ut hanc lectionem, quæ tam infirmis conjecturis nititur, tibi tuique ſimilibus viris doctiſſimis probaturus ſim, Giphani, non nimis laboro. Illud mihi tamen perplacet, quod elegantiſſimum *Valentem Acidalium* in ſuis Velleïanis notis eumdem hunc locum mendi ſuſpexiſſe intellego, & τὸ *Maculet* ſimiliter reponendum cenſuiſſe. Illius tu obitum juxtà mecum graviter tuliſti. credo & omnes eruditos. modeſtiſſimum fuiſſe & moratum examuſſim optime, id noti illius prædicant : ingenioſum & eruditum, nos de ſcriptis ejus teſtamur. Et quid, Giphani ? Satiſne momenti, alios ab hoc ſtudio abſterrendi, tantorum juvenûm tam præmaturos & acerbos obitus habere putem ? Idem fatum fuit *Adeodati de Marivorde* tui, tui *Luc. Fruterii*, idem *Palmerii*, *Jan. Gulielmii*,

Pet. Colvii, *Gul. Canteri*, *Fr. Martinii*, *A. Deynii*, *Georgii Benedicti*, & nuper *Iani Kotteritii*, aliorumque inſignium Criticorum & ingenioſiſſimorum juvenum; qui omnes præmaturo fato abrepti acerbam ſui memoriam ſuis reliquerunt. Et nos quoque horam nulli evitatam in ſtudio hoc noſtro libenter exſpectabimus: interea hoc *inſatiabiliter deflebimus*, *æternumque Nulla dies nobis mœrorem è pectore demet*. Et Acidalii quidem piis manibus quod melos nuper ad optimum & doctiſſimum virum, Dominum Ignatium Hannielem, amicum communem, perſcripſeram, ſi qui præter te forte mearum *lectores aderunt ineptiarum*, adnectere heic volui.

Melos in obitum
VALENTIS ACIDALII
Marchici, juvenis ingenioſiſſimi & elagantiſſimi,

Ad

IGNATIUM HANNIELEM
Marchicum, JC. & Philologum.

HUMANA *cunctos ſcit ratio fere*
Levare morbos unica mentium,
Angoribuſque corda ſæpe
Solicitis ſoluiſſe gaudet.
Fortuna at hujus tam patulum atque tam
Eſt ulceroſum vulnus, o HANNIEL,
Carum mihi , *carumque Muſis,*
Atque viris caput eruditis,

Illi cicatricem eloquio ut tuo
Obducier vix flexanimo rear
Poteſſe. Fors ſit, ut dies hunc
Longa aliquando hebetet dolorem.
Longinquiori tempore nam malis
Venire finis adſolet omnibus.
Solantium at nunc verba frigent,
Conſiliis neque ſurdus aurem
Novit vacivam attendere. Tertius
Præſtantioris de Criticis nota
Hic luctus eſt, heu, noſtra ocellis
Teutonia, genitalis ora.
Næ robur ejus æſque reor triplex
Circa eſſe pectus, qui male duricors
PALMERIUM *ſe cumque ſperat*
Luminibus memorare ſiccis.
Palmerium; qui cùm Criticum genus
Acerrimi vi vicerat ingenI, &
Præſtringeret cunctos, ut ortus
Præmicat aſtra minora Phœbus,
Et Gallus ultro, Belga, Italuſque jam,
Faſces ei ſubmitteret, atque quot
Sunt, aut fuerunt eruditi,
Aut alii aderunt in annis
Poſthac; honorem ſe omnimodis huic
Deferre vellent: peſtilitas eum
Maligna derepente nobis
Suſtulit ætheriis ab auris,
Argentoratum quum decus urbium
Germanicarum inluſtre, Giphanii
Noſtri ſalutandi, ſiniſtris
Alitibus fuerat profectus.
Quantum, GIPHANI, *quantum age literis*
Tum perdidiſti præſidium? heu mihi,
Tuum incluto Palmerio illi
Conloquiúmne ſtetiſſe tanto?

Brevi hunc ſecutus flos GULIELMIUS
AureusLubecæ, Teutoniæ inclutum
Siduſque, & idem dulce noſtris
Præſidiumque decuſque Muſis.
Adflictiones poſt age tot-jugas
Tantaſque, dic, quis non patientiam
Exiſtimet me, utcumque tamdem
Indocilem, didiciſſe? At ipſe,
Quo me ægriorem caſus hic invenit,
Magis dolere reperior. Tuus
Namque ACIDALIUS *ſimul mi*
Dicitur, heu! moribundus iſſe,
Longinqua queis jam nunc diuturnitas
Gratum ſtuporem fecit, ab integro
En cuncta crudeſcunt malorum.
Ictus enim veteres dolore
Plagas recludit ferme noviſſimus.
Exempla non ignoro ego plurima
Mihi heic inante poſſe poni,
Qui tulerint mala cuncta mente,
Quæ ferre non molles deceat viros.
Nec ſic per omnes DEINIADAM *dies*
Luxiſſe (cetteros ſilebo)
LIPSIUS *in Grudiis refertur.*
Conſtantiâ verùm eſſe eâ oportuit,
Conſtantiam qui jam cupiebat ad-
docere cunctos, atque laudem
Hac propriam ſibi comparare.
At tu mihi ſit mens quæ animi vides
Æqualibuſque, ut molliter omnia,
Inhorruit ſi Fors, paratque
Scæva aliquid ſequius, feramus.
Nunc laudibus ne, IGNATI, *Acidalii*
Præconiiſque longiùs immorer
Juſtis, fac ipſus; omnibuſque
Vera age voce, fuiſſe *noſtra*

Florem

Florem, atque ocellum Teutoniæ unicum
Deprædica: cujuſque modeſtia
Vivi eruditioque ſumma
Poſt ſimilem vetet invenire.
Sic fiet, ut qui eſt corpore mortuus,
Amorevi vatque in memori omnium,
Et nomen ad ſeros celebre
Perpetuare queat nepotes.

CAPUT III.

Symmachi patris ad Q. Aurelium Symmachum V. C. P. V. filium epiſtola cum aliquammultis carminibus jam primùm vulgata. Quod utinam.

ITAQUE facere certum eſt, ut Indice libri promiſeram; & ſcriptores veteres (quod alii plerique faciunt) non emendabo ſolum & declarabo, ſed augebo etiam. Nec ullam ad laudem graſſandi viam minùs invidiæ obnoxiam exiſtimo. Quippe quum haud temere ſint, qui illos perpetuò FUISSE velint. omnium hæc animos demereri didicit. In Symmacho ergò, cui alternis ſemper in libris hiſce noſtris medicinam faciemus, primæ illi epiſtolæ, ſuperiùs à nobis perpurgatæ, reſponſio patris ſubjicitur: quæ quòd nemini hactenus viſa fuerit, nunc primùm, ita ut in illo commendatiſſimæ bonitatis libro veteri exſtabat, à me communi bono redonatur.

PATER SYMMACHO.

HOc eſt munus, quo ſe non ſola poſſit jactare Campania; ſed præteritis Roma aut Athenis in Græcum loquendi honorem hujuſmodi lingua vertatur. Quid enim concinnius epiſtola tua quam nuper accepi? quid verſuum admixtione jucundius? Verè dicam tibi, plura legere volentibus

celeriter terminata eſt. *a* quod utinam ſenſus aliquis eorum ſuperſit, quorum imaginibus præſcripta videmus epigrammata. Facile laudabunt ſucceſſores laborum ſuorum, qui picturæ nitorem pulchrioribus verſibus *b* inluminarent. Et ego igitur gratulor, non magis oſtreis & *c* peluridibus abdomen, quàm pectus tibi eloquio eſſe ſatiatum. Et quoniam pudorem meum ipſe ordiendo ſolviſti, à nobis quoque accipe bonorum ætatis meæ exarata nuper elogia. Nam quia nihil eſt quod agamus, etſi nihil agam ſubiti, næ *d* malorum meorum miſera recordatio invænit, quod illis libellis quos nuper dicaveram poſſimus adjicere. Scis, Terentium, non Comicum, ſed Reatinum illum Romanæ eruditionis parentem, hebdomadon libros epigrammatum adjectione condidiſſe. Illud nos, ſi fors tulerit, conamur imitari. ſed quæ prima *e* conpigi interim, pauca miſi, obteſtatus te per Deum, ut ſi quid in his diſplicebit emendes. Quod mihi pudendum non eſt. nam ſive quid ex te placuerit, mea laus eſt: nec vito conſortium in quo talem non erubeſco conſortem. Vale.

a *Obſerva lector elegantiam illam, Quod utinam. Terent. Phorm. Quod utinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet. Utitur & Apuleïus de deo Socratis, & alibi. Sic &, quod niſi, pro niſi. Terent. quod ni fuiſſem incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit. Livi. lib. 34. Quod niſi me verecundia ſingularum magis majeſtatis & pudoris, quàm univerſarum tenuiſſet &c. Lucret.*

Quod niſi reſpirent venti, non ulla refrenet
Res, neque ab exitio poſſit reprehendere euntes.

Sic & aliàs particula illa Quod παρέλκει non ineleganter videtur. Cic. 4. de finib. Quod etſi ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam ſine ratione conſe-

Digitized by Google

conſequuntur : ars tamen eſt dux certior quàm natura. Lucret.

Quod quoniam ratio reclamat vera, negatque
Credere poſſe animum. ———
Idem : ——— quod contrà ſæpius olim
Relligio deperit ſceleroſa atque impia facta.

Cic. in Lucull. Quid ergò eſt, quod percipi poſſit, ſi ne ſenſus quidem vera nunciant? quos tu, Luculle, communi loco defendis : quod ne id facere poſſes, iccirco heri, non neceſſario loco, contra ſenſus multa dixeram.

b *f. leg. inluminarint, ex conjectura Cunr. Rittershuſ.*

c *leg. Peloridibus. & ſunt concha, à Peloro, ut ait Iſidorus, promontorio Siciliæ cognominatæ; ibi enim abundant.*

d *fort. nec.*

e *fort. contigi. q. d. ut quæque mihi ſub manus venerunt. niſi quis malit, compegi. ut compingere carmen dictum ſit, velut componere. Sequuntur nunc in* M s.

ARCADIUS RUFFINUS.

PRINCEPS ingenio, fortunæ munere princeps
Ætatis Rufine tuæ, cui proſpera quæque
Triſticiam [a] tua mirandis æquali ac gloria rebus,
Unus amor cunctis & præſidium trepidorum,
Principibuſque [b] quibus viguiſti tempore doctus,
Aut calcaria ferre bonis, aut frena tyrannis.

a *Nec caput nec pes in verſu illo apparet illud promptum eſt, voculam redundare. & quid? ſi leg. Iuſticiam æquat mirandis tua gloria rebus. ſummam proſperitatem & gloriam ipſius juſticiæ reſpondere & eam æquare. Mihi aqua heret.*

b *omnino leg. principibus, quorum. eloquentiam ejus commendat.*

VA-

VALERIUS PROCULUS.

Cumprimis quos non honoravit gloria patrum
Ponemus Proculum, vitæ morumque decorem,
Haut umquam indignum magnorum Publicolarum:
Olli ſemper amor veri, & conſtantia ſimplex,
Cœlicolum cultus: non illum ſpernere poſſis,
Et quamquam reverendus, non a deinde timeris.

a *fort. poſtinde, metri cauſſâ.*

ANICIUS JULIANUS.

Cujus opes, aut nobilitas, aut tanta poteſtas,
Cedenti a cum on præluxerit animus unus,
Acer ab ingenio cunctiſque adcommodus idem,
Hic & carus erat conferre, juvare paratus.
Nam dives, tum celſus honoribus, & tamen illis
Grandior b æterna complebat nomine Romam.

a *leg. cui non præluxit Anicius unus?*
b *leg. æternam. notum quid æterna urbs.*

PETRONIUS PROBIANUS.

Jactet ſe fortuna aliis, quòd judice nullo
Lucem a ac Romuleam ſua ſola licentia vexit:
Te Probiane pudor, te felix gratia, teque
Itala ſimplicitas morum & ſolertia juvit.
Quocirca b adſiduos Auguſtis notus & hoſpes
Præmia magnorum retuliſti dignus honorum.

a *corrigo, ad. vel, ut illi ſcribebant, at. lucem Romuleam vocat magiſtratus in urbe Romula.*

b *leg. adſiduus. quamvis durum meis auribus accidat. adſiduus notus, id eſt, amicus. ſed ita ſunt hæc carmina, ut filii laudatione parum digna videantur.*

VERINUS.

Virtutem Verine tuam plus mirer in armis,
Eoos dux Armenios cum cæde domares ?
An magis eloquium, morum vitæque leporem ?
a Et niſi in officiis, quotiens tibi publica curæ,
Quòd vitam innocuis tenuiſti lætus in agris.
Nullum ultrà eſt virtutis opus. nam, ſi eſſet, haberes.

a *Fore puto, ut paucis verborum horum ſenſus liqueat. igitur deliquabo: an hoc mirer, quòd ſemper ruri innocenter vixeris, niſi ſi eſſes cum officio, & magiſtratum gereres? Secundum hos igitur verſus lacuna* M s. *erat non magna, inde ſequebatur:*

Octoginta perſonis neſcio an ſolis occurram. Et ideo in ſocerum atque avunculum noſtros tibi delegamus epigrammata. nam & Varronis libri diverſis notantur auctoribus.

CAPUT IV.

Recepta Petronii lectio bis contra Douzam adſerta. Lucretius ſemel declaratus. Res, pro argumento. Reddere, pro probare. Tua fide dic. Stewechii in Apuleium emendatio exploſa.

MULTA eſſe apud auctores non protrita vulgo loquendi genera, & quæ, quum nobis minùs familiaria accidunt, & ſtupor noſter elegantiam illorum non adſequitur, ſtatim in medicinam rapiamus, pridem ab aliis demonſtratum eſt, & ipſe nunc duobus Petronii Arbitri locis, ſcriptoris elegantis, Jupiter! & terſi, oſtendere cona-

conabor. Haut longule igitur à principio Satyrici poſt illam Agamemnonis diſſertationem inquit Eucolpius:

Dum in hoc dictorum æſtu motus incedo, non notavi mihi Aſcylti fugam.

Ubi Janus Douza V.N., quum particulæ iſtius, IN, ſuperfluæ elegantiam minùs teneret, inducendam illam & cancellandam cenſuit. Sed malo exemplo, ſi quid ego judico: nam præpoſitionem illam apud Lucretium, Tertullianum, Apuleïum, alioſque, ſæpiſſime παρέλκειν mihi notavi. Lucretius lib. 2.

Quæ quoniam non ſunt in rebus reddita ———

id eſt, ut ego accipio, non ſunt argumentis probata. *Res* enim pro argumento ſumitur, & ratione qua fidem facimus. Apuleïus x. de Aſino:

Quibus autem verbis accuſator invexerit, quibus rebus diluerit reus.

Nec cauſſæ fuit, cur *rationibus*, non *rebus*, inibi legere maluerit doctiſſ. Stewechius. Utitur & alibi Lucret.

——— *aliiſque ex rebus reddere multis.*

ubi *Reddere* eſt probare, vero & argumentis vincere. Sic. l. 51. §. multa. D. ad L. Aquil. *Innumerabilibus rebus probari poteſt.* Sed ad præpoſitionem noſtram. Ad eamdem itaque faciem & Apul. in *rubore ſuffundi* dixit, *gravis in annis ſenex, in hebeti pigritia ferox.* Et in Jure noſtro, neſcio ubi, legere memini, *in gravi valetudine adfectus.* Nec abſimile illud Propert. libro ſecundo, eleg. 16.

Quid juvat in nullo pondere verba loqui.

cùm aliàs tamen verba nullo pondere dicamus, ſicut *homo antiqua virtute & fide*: & ipſe Propertius alibi: *Ut tibi non ullo pondere terra foret.* Sed & apud hunc

ipſum

ipſum Petronium paucis interjectis, *in curſu* ſe fatigatum dicit.

ALTER locus habetur poſt illam Eucolpii cum peculio ſuo funerato expoſtulationem, ubi ſic Eucolpius:

> *Narra mihi, frater, ſed tua fide: ea nocte qua te mihi Aſcyltos ſubduxit, uſque in injuriam vigilavit? &c.*

Douzæ audaciam heic multis accuſare nolo, qui quaſi pro imperio *Tuta fide* reponit, illo *Tua fide*, ut minùs Latino & Petronianis lautitiis indigno, expulſo. At Seneca tribuni vicem intercedit. Apud quem geminus plane huic noſtro locus Hercul. furente:

> ——— *quis meos dederit neci*
> *Omnes ſimul, profare; quid genitor ſiles?*
> *At tu ede Theſeu, ſed tua Theſeu fide.*

Heic certè *Tuta fide* Douza non reponet: niſi in quarta Iambici ſede, & quidem apud Senecam, ſpondeum pro iambo velit reponere: id quod de tanto támque eleganti poëta, & qui Iamborum ſcribendorum laude unus omnium maxime excellit, minime ſperare auſim.

CAPUT V.

Symmachi ad patrem epiſtola numquam antè edita ex veteri libro proponitur.

GRATIAM ſuperiori mea opera non modicam à viris doctis iniviſſe me confido, dum epiſtolam illam Symmachi patris è tenebris & cæco carcere in lucem, immo in vitam, princeps revocavi. At quanto magis eorumdem mihi animos demerebor, ſi, qua illi reſpondet

ſpondet filius, eam ego itidem proponam? Tanto magis nimirum, quanto hæc illi antiſtat elegantiâ. Et dolendum profectò eſt, eam unam omnium cultiſſimam adhuc jacuiſſe. Bonum factum, lector, ut illam legas ſedulò, tibi de rediviva gratuleris, mihi denique Æſculapio faveas.

SYMMACHUS PATRI.

SUMMA adficior gratia, quòd animadverto literas meas tibi inſubidas non videri, & in grávido non habeo, hanc eſſe apud vos de noſtris epiſtolis cenſionem. Laudari quippe ab laudato viro, rara eſt meſſis ingenii. Verùm ut hoc *a* nihil mihi lætitiæ fuit, ita illud ludificandi gratia opinor adjectum, ſi quid in tuis verſibus ſorduiſſet, id ut mei ſtyli cura limaret. Næ ego ſum ſtultus ac nihili, ſi os ſublitum mihi eſſe non ſentio. Quid enim corrigi vel à me poteſt, vel in te fas eſt? Unus ætate noſtra monetam latioris eloquii Tulliana incude finxiſti. Quicquid in poëtis lepidum, apud oratores grave, in annalibus fidele, inter Grammaticos eruditum fuit, ſolus hauſiſti juſtus heres veterum literarum. Ne mihi verba dederis. novi ego quid valeat adagio: SUS MINERVAM. Adprime calles epicam diſciplinam, non minùs pedeſtrem litium (*leg. lituum*) doctus inflare. Ain tandem? orandi æque magnus, & canendi *b* merere opis indigum mentiare? Haut æquum facis, neque me juvat falſa lactatio. Interea ſi nobis utendas aures datis, dicam quid diebus ſuperioribus egerimus. Baïis remotis arbitris otiabar, eò poſtquam rumor adlatus eſt, terræ filios convenire, oppido *c* cavemus, ne ſobriam ſolitudinem noſtram ſordiditas plebeia fuſcaret. Ac primò Neapolim, dehinc brevi intervallo Beneventum

me

me recepi. Ibi ſummo cultu civium, planeque ſuſceptus tanto honore celebrabar; ut jam gravarer officiis. Sedulitas enim, quæ non compenſatur, onerofa eſt. Et urbs quum ſit maxima, ſinguli optimates mihi viſi ſunt urbe majores, amantes ſui, literarum morumque mirabiles: *a* deum pars magna veneratur, privatam pecuniam pro civitatis ornatu certatim fatigant. Nam poſtquam terra movit, nihil bene (*lego*, *pæne*) illis reliqui factum eſt: ſed fractæ opes infractos animos repererunt. Pro ſe quiſque operam boni civis adfectat. Nox diei jungitur ad laborem. Unde nobis ſumma cura fuit, abire ociùs, quàm volebam, ne aut mihi dediti ab opere diſcederent, aut eos occupatio geminata diſtenderet. Itaque Bajanum ſinum *d* ſurſus acceſſit. Nam Bajæ id temporis jam ſilebant. Hinc vos munere ſalutationis impertio; doque nuntium, propere nos *e* dum volente eſſeredituros. Fruar hujuſce promiſſi. Veſtra tamen indulgentia adfatum ſæpe tribuat, quaſi diutiùs adfuturis.

a *deleo τὸ* nihil, *ut repetitum ex τῷ* mihi, *cui ſequentis verbi princeps litera adhæſerat.*

b *emendo*, meæ te. *interpunctio quoque noſtra eſt.*

c *leg. cavimus. e & i in* MS. *illo ſæpe commutantur, ut in ead. epiſt. erat* recipi *pro* recepi.

d *corrigo*, *rurſus acceſſi.*

e *ſine dubio ſcribi debet*, deo volente. *Vel*, *ut amico noſtro videbatur*, *Deûm voluntate. Sicut alibi Symmach. Deûm beneficio*, *lib.* 2. *epiſt.* 45. *Vide infrà lib.* 2. *cap.* 9. *Exemplo Plauti*, *apud quem eſt*, *Deûm virtute.*

CAPUT VI.

Propertii vulgata duûm locorum lectio contra Scaligeri & Lipſii interpolationes munita. Sidera plantis contingere.

EXperiundo demum veriſſimum eſſe ſentio, quod de Propertio ſcribit magnus ille Joſ. Scaliger: eum à multis amari, paucis intellegi. Quamobrem præclare me facturum exiſtimavi, ſi eum pro copiolis ingenii noſtri ſic interpretarer, ut ab omnibus amari, pleriſque etiam intellegi poſſit. Etſi enim præter illum literarum ſolem Scaligerum, Muretus, Lipſius, Palmerius, omnia fecerunt, ut emendatior ille & nitidior in hominum manus pervenire poſſet: niſi tamen amplum nunc etiam emendationum, uberius explicationum & obſervationum ſpicilegium, relictum mihi poſſim oſtendere, & vero adeò vincere; cauſſam haut dico,

quin me quantum eſt doctorum, de ſaltu Heliconis furcillis ſubito præcipitem ejiciant.

Cujus tamen rei ſpecimen capite hoc non præhibebo. Leviculum enim eſt, quod monebo; ita tamen, ut pro eo obtinendo cum duobus præſtantiſſimis memoriæ noſtræ viris dimicandum mihi videam. Eleg. 3. lib. 1. ita vulgatur:

Sed ſic intentis herebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

Ubi cur legere malit Scaliger: *Argus uti notis.* nullus adhuc video. Ignota enim vocat cornua, quæ Ovidius nova 1. Metamorph.

——— novaque ut conſpexit in unda
Cornua, pertimuit, ſeque externata refugit;
Naiades ignorant, ignorat & Inachus ipſe
Quæ ſit ———

At

At Argo tamen non ignota fuiſſe dices. At o bone, non oportuna ſemper & tempeſtiva Propertii epitheta ſcilicet. Nam huic quidem tempori & loco ignota cornua non erant; ipſi tamen Ioni & Inacho. Sic (ut una fidelia duos parietes) eleg. 8. lib. I.

Nunc mihi ſumma licet contingere ſidera plantis. Ecce, ait, pedibus ſuper ſumma ſidera ambulo. Certe tempeſtivum non eſt. Nec enim ambulanti in cœlo ſidera ſumma eſſe poſſunt. Et illius quidem verſus lectio recte habere videtur, invitis Lipſio & Scaligero, qui *palmis* contra veterum librorum fidem reponunt: quòd ſit proverbium, *Digito cœlum tangere.* Propertius, quòd amicâ potitus fuerit, triumfans venuſtatem ſuam immortalitati & Deorum vitæ æquare dicit; quaſi ipſe tam beatus, ut in cœlum & Deorum numerum relatus videri poſſit, ubi, ut ait Catullus, *ſtellas noƈte premunt veſtigia divûm.* Recte dico, pede terram ab eo contingi, qui terræ inambulat. Tanti autem venuſtatem & felicitatem ſuam facere amatores ſolere, teſtis & idem Propertius eleg. II. lib. 2.

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte!
Immortalis ero, ſi altera talis erit.

Et elegia proximè ſequenti:

Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel deus eſſe poteſt.

Et Terentius Andr. ubi Pamphilus Glycerio potitus: *Nam mihi*, inquit, *immortalitas parta eſt.*

CAPUT VII.

Epiſtola Symmachi, quam Carrion vulgarat, mendis liberata. Caſcus. Tornus. Torno exigi. Tornati, rotundi verſus. Exigere rude ſtatuariorum verba. Signum pro ſtatua. Priapeia in dubium vocata.

LUDOVICUS CARRION binas Symmachi epiſtolas primus evulgavit, quæ etiamnum in Lectianæ editionis calce viſuntur. Sed quum nec ad quem ſcriptæ ſint indicaverit, nec emendatas ſatis propoſuerit, age & earum reſtitutionem gloriam noſtram faciamus. Et priorem quidem quod attinet, neminem paullo humaniorem futurum puto, quin ad eam patris epiſtolam, quam ſuprà eruimus, hanc reſcriptam fuiſſe animadverſurus ſit. Ejus autem principium, ita ut Lectiana editione legitur, ſubjiciam:

Studium quidem Nempei Varronis imitaris, ſed vincis ingenium; nam quæ in noſtrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto hebdomadon elogiis præmicare, quòd hæc æque ſobria, nec tamen caſtigata ſunt: illa bono metallo cuſa à Saturno exigi neſcierunt, & duriorem materiam, niſi fallor, admittere.

DI boni (libet enim exclamare) quæ hæc verborum portenta! Quomodo quæſo (nam argumentis puta) carmen ſobrium eſſe poteſt, quod caſtigatum non ſit? & quod non, ut ait Horatius,

multa dies & multa litura coërcuit, atque
præſectum decies non caſtigavit ad unguem.

Quid? Varronis carmina rigorem non admiſerunt? hercle verò ſeriò, ut vel reliquiæ vincunt.

Sed

Sed quid illud, amabo te: *A Saturno exigi?* Anne hoc vult: Varroniana carmina adeo bene & latine fuiſſe facta, ut à Saturno ex Latio ejici jure non potuerint, tamquam exotica? Nugæ, & gerræ germanæ! Quare M s. videamus, qui Menippeum Varronem adgnoſcit. Pro *præmicare*, *pranitere*, pro *caſtigata* legit *caſta*, pro *ſaturno*, *torno*, pro *admittere*, *adniteris*. Mendoſæ quoque, ut vides, membranæ: acutioribus tamen, quique & id ſciunt, quod neſciunt, digitum quaſi ad veram lectionem inveſtigandam intendunt. Judicate, Critici, ſi vere emendavi:

> *quod hac æque ſobria, nec tamen caſca ſunt: illa bono metallo cuſa torno exigi neſcierunt, & duriorem materiam, niſi fallor, amittere.*

Emendationi meæ rem auctorem dabo. Comparat patris ſui carmina cum Varronianis, iiſque meliora eſſe dicit, etiamſi non ita antiqua & caſca ſint, ut illa Varronis. Nam Varroniana quidem bonis & latinis verbis confecta, rigorem tamen illum antiquarium non potuiſſe plane amittere, nec torno perpoliri. Jam mutationes meas lector eruditus curioſiùs arbitretur. Pro *caſta* verecunda immutatione feci *caſca*. *Amittere* pro *admittere* ſenſus exigebat. Illa gravior eſt mutatio, *cuſa torno* pro vulgario *cuſa a ſaturno*. Sed narro tibi, lector, ſyllabas finales & principiales, à librariis indiligentibus repetitas vel neglectas; infinitas in auctorum ſcripta mendas invexiſſe. Ut hic *cuſa torno*, repetita prioris dictiunculæ finali ſyllaba, ſcripſit librarius, *cuſa ſaturno*. Poſtinde alius librarius repetita poſtrema litera præpoſitionem *a* ingeſſit, ut ſenſui laboranti conſultum iret ſcilicet. Similem maculam aliàs ex Nepote eluam. Ubi quum legitur, *circa fæmineam*,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

legendum docebo, *circa caſam eam:* & ex Petronio ejiciam *ſopitionibus*, hoc ſuppoſito, *ſopiti titionibus.* Similes mendas multi multas indicarunt: plurimas verò clariſſimus & longe doctiſſimus Godeſcalcus Stewechius Apuleïan. quæſtion. lib. 2. ad quem lectorem reviſere velim. Sed ut ad Symmachum redeam, *Torno exigi*, eſt perpoliri torno, id eſt, cælo ſive inſtrumento, quo rotunda cælari ſolent: ſicut Propertius Pumice verſus exigi ait, fronte libri tertii:

Exactus tenui pumice verſus eat.

De torno idem meminit Propertius lib. 2. eleg. ult.

Incipe jam anguſto verſus componere torno.

Hinc *male tornati verſus*, id eſt, non ſatis teretes & rotundi. Horat. arte poët. extremâ:

——— delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.

Tornatus enim apud Lucret. eſt rotundus. Et verò rotunditas in verſibus hiſce commendari ſolet. à quo ſenſu eſt illud Propertii lib. 3. eleg. 1.

Carminis interea noſtri redeamus in orbem.

Exigere autem verbum eſt ſtatuariorum, etſi Ciceroni, Catullo, Lucretio & Virgilio, hoc ſignificatu fortaſſis ignotum. Imago, vel ſimulacrum non edolatum, *rude* vocatur: quando autem perfectum eſt, *exactum.* Ovid.

Non exacta ſatis, rudibuſque ſimillima ſignis.

Signum enim heic eſt ſtatua. Propert. lib. 3. eleg. 3.

Gloria Lyſippo eſt, animoſa effingere ſigna.

Idem:

Ut caput in magnis ubi non eſt tangere ſignis,
Ponitur his imos ante corona pedes.

Sic

Sic legendum fortaſſis illud Priapeium carm. 9.

Nec ſum Phidiaca manu politus,
Sed ſignum rude villicus dolavit.

pro eo, quod legitur ibi, *lignum*. Inde *ſignifex* pro ſtatuario, apud Apuleïum & Arnobium. Cic. *Forma ingenii admodum impolita & plane rudis.* Propert. de Calamis lib. 3. eleg. 7.

Exactis calamis ſe mihi jactat equis.

Horat.

Exegi monimentum ære perennius.

Sequitur in Symmacho:

Ille Pythagoram, qui animas in immortalitatem primus adſeruit &c.

V. C. habet, *in æternitatem p. adſ.* Póſt:

Totumque illum triumfalem ſenatum parva laude perſtrinxit. Tu viros proxime ætatis illuminas.

Lege ex M s. *parca laude p. T. v. proxima ætat. inl.* Viros intellege, Arcadium Ruſinum, Proculum, & alios, de quibus ſuprá. *Cetera non magni momenti in eadem epiſt. alias emendabuntur.

CAPUT VIII.

Plauti Amphitruo ab aliquammultis, falſis tamen Lambini interpretationibus liberata, itemque emendata. Vertere pro verti. Salutator Magni amici. Anteambulo. A Douza patre & filio leniter & leviter diſceſſum.

AMPHITRUONE Plauti ſc. 1. verſ. 95.

Vertentibus Thelebois telis complebantur corpora.

Acumen Lambini deſidero, qui mirumquantum

 pueri-

pueriliter accuſandi caſum ſubintellegi perſuadere nobis poſtulat, quaſi Plautus *vertentibus*, terga ſcilicet, dixerit. Ego *vertentibus* pro *verſis* non inſolenter dictum deputo, ut apud Lucretium:

Omnia commutat natura, & vertere cogit.

pro *verti & mutari*. Sic apud eumdem de Sole:

Canceris ut vertat metas ad ſolſtitiales.

pro, vertatur ad Cancri metas. Sic Salluſt.

Ubi regium imperium in ſuperbiam dominationemque convertit.

Sane *verſi* pro fugientibus eſt apud Virgilium:

——— aut verſi terga dedere.

Sc. 7. v. 22. quod Alcumenæ ait Jupiter:

Nimis verecunda es:

ſic interpretor, quia paullo familiariùs ſubagitata (ut loquitur Plautus) & contrectata, virgineum plane in morem modeſte ſe avertit. Et ita quidem illum Germaniæ ocellum Joach. Camerarium pòſt accepiſſe vidi. Proinde ridere libet Lambini divinationem, qui pro verecunda ſubſtituit nobis (ſibi ſubſtituiſſet velim) iracundam. Εὐςό'χως profecto! Illam tamen ſententiam ſequentia Alcumenes verba ſtabiliunt, ait enim:

——— Potin ut abſtineas manum?

Nec minùs verò ſtrabam Nonii interpretationem furcillandam cenſeo, qui verecundam pro audace & confidente, id eſt, nigrum pro albo, lucem pro tenebris, minime hercle verecundus accipit; quod tamen ab amico noſtro Jano Douza filio,

filio, acutiſſimo juvene, probatum & ad oram Plauti adjectum fuiſſe, non poſſum non vehementer mirari.

Sc. 10. v. 8.

Quem-propter corpus ſuum complevit ſtupri. Anaſtrophen vides. Quod meliùs quàm Lambinus multoque magis certa ratione Terentius tibi declarabit Eunuch. act. 2. ſcen. 3.

Cibum nonnumquam cum ea capiet, interdum propter dormiet.

Laudo ergò Lambini interpretationem; *propter quem, id eſt, cujus gratia, à quo capta.*

Scena 12. v. 22. quum ſervus herum ante clauſas fores ambulare videt,

Herus, inquit, ſalutator oppeſſulatas ante fores graditur.

Ad quem locum Lambinus piſce magis mutus, ne mu quidem (ut in omnibus paullo difficilioribus ſolet) de ſalutatore. Morem veterem Plautus tangit. Clientes Romæ patronos ſuos obſervabant, ad ædes frequenter aderant, *ſalutabant*, abeuntes deducebant, vel Symmacho teſte lib. 8. epiſt. 41.

Nondum ante januas eminentium poteſtatum vigilem noctem ſalutator expertus es &c.

Et Martiali:

Mane ſalutatum venio, tu diceris eſſe
Ante ſalutatum. jam ſumus ergò pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo regis,
Tu comes alterius; jam ſumus ergò pares.

Ex quo Martialis loco ſuſpicari libet, patronos à

clientibus ut *Magnos amicos*, ita & *Reges* dictos fuiſſe. Sic enim illos, à quibus alebantur, paraſiti vocare ſolebant. ut in Capteiv. ait Paraſitus:

Poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium.

Cur autem *Anteambulonem* dicat, docent Lipſii epiſtolicæ. Qui enim ſe ſuperiorem deducebat, is ſiniſtrum ejus latus dimidiata corporis ſui parte anterior tegebat. Nec verò ob ſpem cœnaticam tantùm, ut Douzam poſtea ſentire vidi, talia patronis præſtabant officia, ſed ad obſervantiam ſuam teſtandam, & patronis magis ſe inſinuandum. Teſtis Horatius Sat. 9. lib. I. ubi ait odium hominis, Mecœnatis amiciciam captans:

——— quare cupiam magis illi
Proximus eſſe. Et; —— non hodie, ſi
Excluſus fuero, deſiſtam: tempora quæram,
Occurram in triviis, deducam.

Et lib. I. epiſtol. 5.

Atria ſervantem poſtico falle clientem.

Eadem ſc. Di voſtram fidem, verſ. 60.

——— AM. Bacchus te irritaſſit.

SO. Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem, tu purgari juſſeras
Vaſa, ut rem divinam faceres, & hunc me accerſitum mittis,
Ut tecum prandeat.

Lambinus, *Salutem*, inquit, *pro ſalutare potui: quia nec edi, nec bibi quicquam.* Cui exagitando nolo immorarier. Lego autem:

Nec Bacch. ſal. hod. n. Cer. Ni purg. juſſeras. q. d. precor ut nec panem nec potum ori hodie meo admoveam, niſi tu juſſeras &c. *Salutare*, ridicule

pro

pro ori admovere. Quia Salutare & Adorare Deum rem unam notat. Jam autem *Adorare* proprie eſt, ad os admovere. In Deorum autem ſalutatione (ut Lipſius admonuit 2. Elect. cap. 6. & Muretus variar. lection. Lib. 10. cap. 1.) multi eminus ſtantes (quod Deos ore profano tangere verebantur) manum porrigebant, eamque ſtatim ad os ſuum relatam ſaviabantur. Et hanc correctiunculam hoc modo declaratam facile omnibus arriſuram puto.

CAPUT IX.

Poſterior Symmachi epiſtola, à Carrione primùm edita, priſtino nitori nunc reſtituitur, lacunis ejuſdem expletis. Mihi illius nulla vitatio eſt. Occaſionem rapere.

EST autem & illa ad Symmachum patrem perſcripta, & tertiam libri primi epiſtolam ſubſequi debet. Eam, quòd plurimis etiam mendis ſcateat, totam nunc emendare lubido eſt. Principio fere:

Nunc properato opus eſt, ut dum animi tempus calet, Auctumni bona raptim fruamur.

Lege cum Rittershuſio, *dum anni temp. c.* & ita quoque in v. l. reperi. Pòſt paullo:

Menſæ ab edulibus copioſæ ſunt, quibus mihi amicorum catervas minaris.

Lego: *quibus tu am. c.* Sequitur:

Sed mihi honeſta multitudinis nulla minatio eſt.

V. C. *nulla vitiatio eſt.* Inſanum bene (ut Gallogræculo illi nugatori oculi doleant) emendavi: *nulla vitatio eſt.* Id eſt, egò honeſtam amicorum multitudinem, quam tecum ad me adducere minaris, non vito. Et ſæpe ſic Symmachus, ut lib.2.epiſt.36.

An

An tibi urbanorum tanta vitatio eſt? Et lib. 1. epiſt. 43. *Mihi opinionum quæ ſine auctore prodeunt nulla curatio eſt.* Lib. 7. Epiſt. 5. *Quaſo ut hujus tibi muneris ſumma curatio ſit.* Ita ibi V. C.

Quæ autem paullo pòſt conſequuntur,

*Nec dixeris quaſi ſummam palluant. nam comitibus meis utpote * * * quouſque longiùs loquor?*

Pro iſto *palluant*, monſtro verbi, quod me hercule neque fictum, neque pictum, neque ſcriptum in ſcriptoribus vidi, M s. habebat *polluant.* Pro quo forte legendum ſit *pellant.* Cetera expleo & repræſento, qualia in v. l. erant:

Non deerit, quo famem pellant. nam comitibus veſtris, utpote ſobriis, cædunda ſagina cura poſterior eſt. quouſque longum loquor?

Saginam cædere, phraſis eſt Plautina, ex Moſtellar. act. 1. ſc. 1. v. 60.

——— pergite,
Quomodo occœpiſtis: bibite, pergræcamini:
Eſte, effercite vos, ſaginam cædite.

Pro illo quod ſub ea verba legitur:

Occaſionem accipere prudentis eſt.

lege ex v. c. *occ. rapere*, vel cum doctiſſ. Rittershuſio, *arripere.* Quod ſane latinius & impendio venuſtius nemo paullo humanior ignorat. Exrrema epiſtola:

Si quid dilatione itineris redimitur, mora otii rependatur.

V. C. *repenſatur.* Quod & placet impenſius.

CA-

CAPUT X.

Quòd pro quamvis. Lucretii locus eleganter à Virgilio & Propertio imitatus. In Propertium conjectura.

NON nego, nec cur negem cauſſa eſt, maximopere mihi volupe, & nimio magnæ melliniæ, eſſe ſimilium in auctoribus locorum collationem. Unde non ſolùm, quid alter ab altero mutuatus ſit, videre, ſed imitandi quoque rationem, quæ ſeculo hoc pæne ignoratur, addiſcere poſſumus. Elegans eſt elegantiſſimi omnium & latiniſſimi poëtæ Lucretii locus lib. 2.

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur;
Nec domus argento fulget, auroque renidet,
Nec citharis reboant laqueata aurataque templa:
At tamen, inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucunde corpora curant.

quem hoc modo à Virgilio 2. Georg. expreſſum admonuit Macrobius:

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam,
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſque auro veſtes, Ephyreïaque æra,
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus: at frigida tempe &c.

His

His addam ego principis Elegiographorum Propertii locum lib. 3. eleg. 1.

Quòd non Tænariis domus eſt mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
Nec mea Phæacas æquant pomaria ſilvas,
Non operoſa rigat Martius antra liquor :
At muſæ comites, & carmina cara legenti,
Et defeſſa choris Calliopeia meis.

Verſibus duobus poſtremis ἐμφαλικώτερον futurum, ſi legatur : *at carm. c. l. at defeſſa.* ad exemplum Virgilii. Verſu primo *Quòd* pro Quamvis poſitum eſt. ut apud Ovidium :

Illa quòd eſt virgo, quòd tela cupidinis odit,
Multa dedit multis vulnera, multa dabit.

Terentius Eunuch.

Quòd dicas mihi, Iter hac habui, alium
quærebam ; periſti.

Sic apud Plautum multoties, & in Priapeiis :

Quòd ſim ligneus, ut vides, Priapus,
Et falx lignea, ligneuſque penis,
Prendam te tamen, & tenebo prenſam.

Sæpe etiam τὸ Quòd apud bonos auctores παρέλκειν non ineleganter videtur. Ut, Quòd utinam, Quòd niſi : pro Utinam, Niſi. Exempla vide ſuprà cap. 3.

CAPUT XI.

Rurſus alia Symmachi epiſtola numquam antè viſa vulgatur, & emaculatur.

ORDINE Symmachum emendare & augere decrevi. Quæ igitur modo à nobis emendatam ſub-

ſubſequitur epiſtolam, itidem nunc primi proponimus.

SYMMACHUS PATRI.

JAM dudum *a* veſtri cupiunt Lucrina tacita, & liquida Baiana, & Puteoli adhuc celebris, & Bauli magnum ſilentes: vos apud Coram ruſticam, vel apud ſteriles Formias deſideris. Tamdem, ſi operæ eſt, contendite viam, atque animadvertite, meliora terrarum, ubi alte turbis quieſcitur, ubi fruendis feriis modus nullus eſt, ubi corniger Lyæus aperit ſupernam gutturi, Vulcanus æſtuoſis medium coquit cavernis, tenet ima piſce multo Thetis & Baiæ ſorores, calet unda, friget æthra, ſimul innatat choreis amathuſium renidens ſalis arbitra & vaporis, flos ſiderum Dione. Num vobis videor, quaſi multæ luxuriæ ebrius mentis, inſipere, atque ideo in poëtas *b* nomen dediſſe? Nihil moror; *c* hanc literarum loci potius, quam ingenii mei munus exercui. Sed ſi invitantia loquor, gradum tollite, ut & vos ſitis læti præſentium. & nobis *d* poti undique volumus fortuna ſuccedat. Vale.

a *Ita dictum accipio, veſtri cupiunt, pro veſtri cupidi ſunt, vos deſiderant. & multa talia Symmachus. ergò poſtea legendum, Puteoli celebres.*

b *Cur ait ſe in poëtas nomen dediſſe? Quia nimirum huic epiſtolæ ad* XII. *verſus Anacreonticos inſeruit: incipiendo ab his verbis: ubi corniger Lyæus: uſque ad, Flos ſiderum Dione. Quam obſervationem amico meo Rittershuſio, Lector, debes: qui & ſecundum verſum ita putabat conſtituendum: Aperit ſuperne guttur.*

c *Probe interpunxiſſe me puto. ſed emendo: hoc literatum joci potius q. i. m. munus exero.*

d *Judicet lector eruditus de correctione mea: & nobis potiundi quæ volumus f. ſuc.*

CA-

CAPUT XII.

Robertus Titius quam nihili poſt Lipſium & Lambinum in Plauto fuerit, de ſententia Ignatii Hanielis detectum. Quantum terra tegit. Loco tegi, pro, in loco eſſe.

SED age ad Robertum Titium nos aliquando conferamus. Quem etſi eadem libertate, non eodem tamen, ſed majori jure, variis in locis taxare poſſemus, qua in iſtos literarum deos, Scaligerum, Canterum, Muretum, alios, uſus ille, immo abuſus eſt: ne tamen aliena nos mala malos efficiant, equidem cavendum exiſtimo. Is igitur Titius ſicut in literis aliquid vidit (etſi quorum opera vidit, ingrato & malitioſo animo diſſimulavit) ita in iſto Plauti loco nihil vidit, de quo ſic ille libro Locor. Controverſ. 9. cap. 11.

> *Recte viderunt Lambinus & Lipſius carmen hoc ex Plautina Pſeudolo*: Quid ais, quantum terra tegit hominum perjuriſſime? *perperam ſcriptum circumferri. Neque enim Calidorus dicit, Pſeudolum omnium hominum, qui mortui ſunt, ſceleſtiſſimum eſſe, ſed omnium qui vivunt. Itaque alter emendat:* quantum terra gerit. *Alter*, quantum in terra degit *&c.*

Immo, mi Titi, non recte meo quidem animo viderunt. Quod & Ignatius Hanniel Marchicus, Vir & Juris civilis ſcientia & his humanioribus ſtudiis penitus imbutus, Ingelſtadii mihi ſubjecit, locumque ſine macula eſſe & recte habere oſtendit. Nec enim mortuos ſolùm, ſed & vivos terra tegi. Cujus rei fundum en tibi alterum Plauti locum, qui in Rudente ſc. 3. exſtat hujuſmodi:

> Hoc quod indura ſum, ſunt meæ opes oppido;
> Nec cibo, nec loco quo tecta ſim, ſcio.

id eſt,

id eſt, ubi locorum ſim neſcio. Sicut ergò heic *Loco tegi* eſt in loco eſſe, ſic ibi *terra tegi* eſt in terra eſſe. Sed operæ pretium fuerit alteram Ariſtarchi illius emendationem àudire. Ait ergó: Igitur demam cautionem, quæ in emendandis ſcriptoribus adhiberi debeat, ſi pro *tegit* legamus *regit*, quòd & propinquitas characterum t, & r, adjuvare videatur. Caute, Jupiter, & acute! Sed ita nugas tantùm præ ut philoſophetur, quando phraſios iſtius inſolentiam, *terra regit*, exemplis adſerere conatur:

,, *Phraſis hac, terra regit, Latina eſt & uſitata, quia Plautus & Seneca dicunt, omnium quos terra ſuſtinet ſacerrimum & nocentiſſimum.*

Et hæc quum legimus, riſum continebimus? Sed ita eſt nimirum, quo quiſque in reprehendendis aliorum erratis eſt proclivior & petulantior, eo inſigniore in leviſſimis quibuſque ſtultitia labi ſolet: quod & bono huic Titio noſtro, viro aliarum rerum non indocto, ſæpiùs uſu væniſſe, & ipſa res loquitur, & nos, ſi uſus ſit, nullo negotio demonſtrare poſſumus.

CAPUT XIII.

Item alia Symmachi epiſtola primùm à me luci redonata.

PERGAM in Symmacho noſtro, &, quæ ſuperat in libro primo nondum vulgata epiſtola, repræſentabo. Collocari verò debet inter proxime propoſitam & illam quæ quarta eſt in libris editis.

PATRI SYMMACHUS.

IN metu fuimus, ne vos imber inhiberet. Sed verum illud eſt, quod poëta noſter ſcriptum

reliquit, iter durum viciſſe pietatem. Quare adventum veſtri in diem placitum præſtolamur. Dii modo auctores ſint, ut, quæ animo deſtinatis, nullis cauſſationibus obſtrepantur. Vale.

CAPUT XIV.

De duobus Propertii locis contra Rob. Titium diſputatum.

DIGNIOR obliquo funem qui torqueat ocno,
Æternuſque tuam paſcat aſelle famem.

Verſus ſunt Propertii lib. 4. eleg. 3. & ita hodie leguntur, ex Politiani tamen, viri omni laude majoris, correctione, ſi Titio credimus. Is enim priùs *Orno*, non *Ocno*, ſcriptum fuiſſe & ſcribi debere contendit. Per obliquam enim ornum intellegi voluiſſe Propertium inſtrumentum illud, quo ſpartum ſeu cannabis, aliave materia, in funes contrahi ſolet. Sed ego Politiani conjecturam amplector, & omnino de ocno poëtam ſcripſiſſe perſevero, quia & aſelli meminit, laqueum ab ocno tortum arrodere ſoliti. Poſteriorem certe verſum ad fabulam illam adludere nemo negat, quare priori de ocno præceſſiſſe oportet. Obliquum vero ocnum dici non potuiſſe, contradicit Titius: ego verò, potuiſſe, ut ſtatum torquentis exprimeret. Vel, ſi mavis, paullula mutatione legamus, *oblito*. Quod neſcio an ab alio jam indicatum fuerit. Semper enim ſpartum torquebat ocnus, & obliviſcebatur incaſſum magnum cecidiſſe laborem, & adſtare aſinum, tortumque funem adrodere. Quare nec repulit eum. Et de iſto quidem ita cenſeo. Alia videamus. Eleg. 12, Multa tuæ. lib. 3, legitur hodie:

Quòd non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros.

Sed

Sed eam lectionem Aurati & Gul. Canteri eſſe ait Titius, quum optime antè non *Ludos*, ſed *Laudes* legeretur; multiſque oſtendere conatur, *Laudis* vocabulum eſſe *μέσον*, quod in bonam malamque partem juxtà capiatur. Sed hanc Titianam lectionem ipſe mihi probare nondum potui; probaturus non ægre, ubi hoc à te impetravero, Titi, ut phraſios iſtius *Exercere laudes* Latinitatem idoneo aliquo ſcriptore confirmes.

CAPUT XV.

Immanequantum, Nimiumquantum, Incredibilequantum, mirumquantum, pro valde. Symmachus ſæpiùs emendatus.

MANUSCRIPTI illius Symmachi bonitatem, quem penes CL. V. DN. Giphanium ſuprà adſervari diximus, numquam ſatis commendari poſſe exiſtimo. Præterquàm enim quòd optimas quaſque lectiones ex veteribus libris à Jureto & Lectio repræſentatas adgnoſcit, tum plures epiſtolas continet, plures lacunas explet, & mendas quoque plurimas in Lectiana quoque editione relictas oſtendit. Ex eo, capite hoc, nonnulla viſum eſt proponere. Epiſtola 4. libri I.

Velut me nunc Capuani prætorii inſtauratio in graves coëgit expenſas.

Lege: *cogit*. Sequitur enim: *His niſi properata cura ſubvenerit.*

Cujus pars fatiſcit injuria, pars neglegenti dudum celeritate reparata imbecillum præſtat habitaculum.

Sic rectiùs, quàm ut vulgatur, *Indecorum præſt. hab.*

quia poſtea de ruina addit; imbecillem ergò fuiſſe oportet. Clauſulam epiſtolæ, cui intellegendæ Oedipo conjectore opus ſit, ita recte leges:

Facite viciſſim, veſtræ ſalutis atque actuum proſpera noverimus: ut hoc pauxillum tempus, quod in Campania paramus abſumere, ſine offenſa veſtri ſilentii tranſigamus.

hoc eſt, ne veſtro ſilentio offendamur. In vulgatis libris ibi meræ tenebræ.

Epiſtola ſequenti, quæ eſt quinta, vulgatur:

Ea nobis in commune quam cara & grata fuere.

M s. *com. quantum cara & gravia fu.* Pignus mecum ſis dabo, ni recte emendavi:

Ea nobis immanequantum cara & gravia fuere.

Immanequantum, eſt valde. Ut Græcis ἀμήχανον ὅσον, θαυμαστὸν ὅσον. Horat.

Vino & lucernis Medus Acinaces
Immanequantum diſcrepat. ——

Salluſt. 2. hiſtor. *Immanequantum animi exarſere.* Et Symmach. infrà Epiſt. 15. *Accepi evectiones quatuor immanequantum commodas in excurſus & recurſus meorum.* Et epiſt. 59. *Immanequantum à literis deſidetis.* Eadem forma dictum *Mirumquantum.* Livius lib. 2.

Id mirumquantum proſit ad concordiam civitatis.

Et *Nimiumquantum.* Cic. 4. de Fin. *Sed differre inter honeſtum & turpe nimiumquantum neſcio quid immenſum* &c. Symmach. lib. 7. epiſt. 16. *Sed quantum avarus es* &c. Ibi v. l. Jureti: *Sed nimium inquam avarus es.* Corrige ex noſtro v. l.

Sed

Sed nimiumquantum ava. Et *Incredibilequantum.* Juſtinus lib. 8.

Incredibilequantum ea res apud omnes nationes Philippo gloria dedit.

Sequitur in Symmacho:

Nam ſi quid in abſentes boni conſulas.

Ms. *bene conſulas.* Et rurſus:

In exſpectatione eſſe cœpimus, quia mox vobis capeſſendum iter Appia ſcriberetis &c.

Nauci non eſt hæc lectio; corrigo: *quam mox vobis* &c. Cetera, quæ præclare emendavit Lectius, in noſtro quoque libro exſtare profiteor.

CAPUT XVI.

Qua pro Ubi. Porro Quirites. Porro clamare, quiritare. Bene pro Valde. Bene nocturnus. Strangulare. Aliquot in Petronium conjectura.

ELEGANS profectò & luculentus eſt ſcriptor Petronius, quemque non abs re tantopere amant viri docti. Eum ego quum de Rittershuſio meo ſumptum quaſi præteriens & aliud agens relegerem, pauca hæc & levicula notavi mihi, & chartæ illinenda non eò cenſui, quòd eruditorum lectione & cenſura digna eſſent, ſed quòd utilitati ſtudioſorum & Petronii amatorum (quibus noſtra hæc excubat opera) non omnino aliena futura putarem. In illa Agamemnonis declamatione, principio fere:

Et ne poëtas quidem ad teſtimonium citem, certe neque Platona neque Demoſthenem ad hoc genus exercitationis acceſſiſſe.

Næ illi parum elegantiſſimam loquendi formam

videntur advertiſſe, qui pro *certe*, repoſuerunt, *certum eſt*. Nec etiam ſecundas ago optimo & doctiſſimo præceptori meo Cunrado Rittershuſio hoc modo illa interpolanti:

Certe neque Plato neque Demoſthenes ad hoc g. ex. acceſſiſſet.

Nam mihi hanc raram elegantiam adſerere certum eſt: quam Palmerius pluribus olim exemplis confirmavit. Talia ſunt, quum *Scilicet*, *Videlicet*, *Fortaſſis*, cum infinitivo junguntur. Lucret lib. 2.

Scilicet eſſe globoſa, tamen quum ſqualida conſtet.

Et lib. 1.

Eſſe videlicet in nobis primordia rerum.

Terent. Heaut. *Scilicet facturum eſſe me.* Ibidem: *Continuo injeciſſe verba tibi Dromonem ſcilicet.* Plaut. Sticho act. 4. ſc. 1. *Videlicet illum fuiſſe parcum ſenem.* Et: *Videlicet fuiſſe illum nequam adoleſcentem.* Et Aſinar. *Ædepol ſenem Demænetum lepidum fuiſſe nobis.* Et Pœnulo act. 5. ſc. 2.

Quid ait? M I. Miſeram eſſe prædicat buccam (ſibi.
Fortaſſe medicos nos eſſe arbitrarier.

Titinnius apud Nonium in Damnare:

Fortaſſe votum feciſſe, quo die liber foret.
Nunc ejus voti condemnatus immolabit hoſtiam.

Sequitur in Petronio:

Sed nec viam diligenter tenebam, quia nec quo ſtabulum eſſe ſciebam.

Si illi optime correxiſſe dicendi ſunt, qui de ſuo liberali cauſſa ſcriptoribus condonant, pol optime omnium Douza hæc correxit. Legit enim: *quia nec*

nec quo loco ſtab. vel : *quo iter adſtab.* Ego , qui ſiniſtram iſtam liberalitatem haudquaquam probare didici , lego : *nec qua ſtab. eſ. Qua* pro Ubi Giphanius Lucretiano Indice (ſi dIs placet) penitus barbarum vocat. Barbari igitur & Latini auctores plurimi , qui ſic loquuntur : barbarus ipſe Cicero, qui lib. 8. epiſt. ad Atticum eo utitur : & Cæſar 1. bell. Civil. *Qua fauces erant anguſtiſſimæ.* Barbarus quoque Horatius lib. 2. od. 3.

Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant.

ita ibi vetetes libri. Sæpiſſime quoque utitur Propertius. Sed ad Petronium redeo :

Quum ego proclamarem , gladium ſtrinxit ; & , ſi Lucretia es , inquit , Tarquinium inveniſti.

Numquam Petronius tam abſciſſe loqui, ſed addere ſemper ſolet , quid proclamaverit. Quare ſuſpicor corrigendum : *Porro clamarem.* Volebat Eucolpius quiritare ſive *porro Quirites* clamare , ſed impetu Aſcylti interveniente priorem tantùm dictionem abſolvit. *Porro Quirites,* clamabant opem Quiritium ſeu civium Romanorum implorantes. Similiter infrà idem Petron.

Acu comatoria cupienti mihi invocare
Quiritum fidem malas pungebat.

Nec novum eſt , ut *Pro* vel *Proh Quirites* ab imperitis librariis pro *Porro Quirites* reſcriberetur. Quo de vide magni illius Briſſonii octavum Formularum librum , quem compilare nolo.

Paucis interjectis in Petronio ſequitur :

Non taces gladiator obſcæne , quem de ruina arena dimiſit.

lego trajectis voculis : *de arena ruina dim.* Vide, Lector, Lipſii de Amphitheatro, & adde hæc iis quæ de pegmatis ex antiquitate producit. Ita enim hunc locum accipio, quòd, pegmatis impoſiti ſi forte præcipitati eſſent, & incolumes evaſiſſent tamen, vitam cum libertate quodam populi favore dono quaſi acceperint. Talem igitur Eucolpium hunc fuiſſe ait Aſcyltus. Sequitur pag. 9.

Etſi ruſtico mulierique placebat permutatio, advocati tamen, jam pæne nocturni, qui volebant pallium lucrifacere, flagitabant uti apud ſe utraque deponerentur.

Neſcio cur pæne nocturnos dicat. & fallor an ſcripſit Petronius, *bene nocturni*, id eſt, qui jam ſerò & multam in noctem ambulant, ut infrá : *Bene mane ſurrexi.* Eſt enim αὐξητικὴ hæc particula, ut *bene impudens*, apud Ciceronem. *Bene magnus* &c. Non ita multo poſt :

Ceterum apparebat nihil aliud quæri, niſi ut ſemel depoſita veſtis inter prædones ſtrangularetur, & nos metu criminis non veniremus ad conſtitutum.

Quid ſit *ſtrangulare veſtem*, nonnemo dubitabit. Puto autem eſſe idem, quod abdere & recondere : ſicut ſtrangulare divitias in arca apud Statium 2. Silv. eſt perpetuò clauſas ſervare.

Non tibi ſepoſitas infelix ſtrangulat arca
Divitias. ———

C A-

CAPUT XVII.

Symmacho lux & iterum medicina facta. Faſcino morderi. Præfiſcine. Prælabi pro præterlabi.

LEVIORA ſæpe, quàm pro doctorum virorum exſpectatione, his libris inſpergere ſoleo. Sed mihi ſatis acceptum eſt, nullum eſſe in bonis ſcriptoribus mendum adeo puſillum, quod non integræ nonnunquam ſententiæ pervertendæ vel obſcurandæ ſit, quodque non interſit rei literariæ ex iis, quos cottidie terimus & evolvimus, libris exſtirpari. Talia quoque videbuntur, quæ nunc in Symmacho, non ſemel jam à nobis præclare emendato, proponam. Lib. I. epiſt. 7. in Lectiana editione:

Nondum cœlo albente concurritur luminibus accenſis. Novi ſæculi fata recitantur. Quid multa? lucem quam operiamur accepimus.

Poſtrema illa verba ita rectiùs ex Ms. leges:

Quid multa? luc. quam adhuc operiebamur accipimus.

Ambiguitate ludit. Lucem enim diei adhuc exſpectabant, quum ecce lux epiſtolæ D. Gratiani curiæ adfulget. Sequitur ead. epiſt.

Beneficium ſuum natura tutetur, & has ſaltem Romano nomini velit ſervare delicias. Nullo faſcino felicitas publica mordeatur.

Certa emendatio eſt ex veteribus membranis:

Benef. ſuum fortuna tutetur.

Obſervatiône quoque ſtudioſorum (quibus hæc poſt multos alios denuo inculcamus) non indigna phraſis illa, *faſcino morderi*, pro invidia lacerari, & ut audaculus ille Flaccus ait, *invideri* ac faſcinari. Nimiam enim proſperitatem ab invidia faſcinari gentilis illa credebat ſuperſtitio, ut ex Propertii loco, de quo mox, videre eſt.

Olim gratus eram, non illo tempore cuiquam
Contigit, ut ſimili poſſet amare fide.
Invidiæ fuimus. num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis dividit herba jugis?

Et Virgil.

Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Unde etiam vel ſe vel alios laudaturi, ne laus nimia laudatis invidiam creare poſſet, *præfiſcine*, quaſi ad arcendum faſcinum & invidiam, præfari ſolebant. Sic ſervus ille Plautin. Aſinar. act. 3. ſce. ult. *Præfiſcine hoc nunc dixerim. nemo etiam me accuſavit Merito meo. neque me Athenis eſt alter hodie quiſquam cui credi recte æque putent.* Sic apud Titinnium, laudante Chariſio, quum muliercula ſponſam nimia laude adfeciſſet, ab altera monetur, ut præfiſcine præfari velit:

——— Paulla mea, amabo pol tu
Ad laudem addito præfiſcine.

ne ſcilicet, addit Chariſius, puella faſcinetur. Sed vide Muretum var. lect. lib. 9. cap. 3. Jan. Gulielmium Veriſimil. lib. 2. cap. 15. Clauſulam epiſtolæ ſic mecum ſis lege:

Monimenta curiæ noſtræ plenius tecum loquentur. Ubi quum plura reſcripta repereris, æſtima quanto uberiora unius mens optaverit, quàm plauſus effuderit.

In

In ſequentem epiſtolam octavam hæc paucula notabam:

Volitat tuus Moſella per manus ſinuſque multorum, ſed tantùm noſtra ora præterlabitur.

Ms. *prælabitur.* ut vel hinc rarum præpoſitionis illius *Præ*, ἀντὶ τοῦ *Præter*, uſum animadvertas. Eodem autem plane modo Horat. lib. 4. od. 3.

Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt.

Sic enim ibi, non *perfluunt*, legendum, ex v. l. docuit Giphanius Indice Lucret. in Præſtringere. Sequitur de Moſella:

Hunc tu mihi improviſo clarorum verſuum dignitate Aegyptio Nilo majorem, Sarmatico Iſtro frigidiorem, clarioremque hoc noſtro populari Fucino, reddidiſti.

Ms. *Nilo majorem, frigidiorem Scythico Tanai, clarioremque* &c. Quòd autem eruditiſſimus lectiſſimique vir ingenii Jacobus Lectius *Fluvio* pro *Fucino* legendum, & Tibrin intellegendum putat, vix eſt, ut adſentiar. Fucinus enim non minùs, quàm Tibris, Symmachi popularis dici poteſt. Quia eſt & ipſe in Italia aqua pellucida clarus. Virgilius teſtis 7. Æneid.

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus. ———

Vitreus enim de ſplendore & claritudine aquarum dicitur, ut Horat. lib. 3. od. 13.

O fons Banduſiæ ſplèndidior vitro.

Ad quem locum vetus interpres laudem fontis à perſpicuitate eſſe dicit, per comparationem. & hunc ipſum Virgilii verſum exempli loco adducit.

CA-

CAPUT XVIII.

Propertius correctus. Extremus pro minimo. Perire aliquo. Nullis decus artibus. Nemeſis ſuperbiæ vindex.

DE Propertio ita eſt, ut dixi. Difficilia apud illum pleraque, & in quibus declarandis viros etiam doctos, multumque in his humanitatis ſtudiis exercitatos, deſudare oportet. Ego, qui Oedipus vel ariolus aliquis non ſum, qua tamen potero induſtria, ſtudioſis, qui Propertii lectione non indelectantur, obſcuriora illuſtrando, mendoſa corrigendo, laborem hoc libro aliquantum demere & minuere conabor, interea dum, plus otii & commoditatis nactus, ſcriptorem illum, Elegiographorum meo quidem doctorumque animo facile principem, uberioribus à me commentariis inluſtratum exhibeo. Libro itaque primo eleg. 4. quum Cynthiæ ſuæ formam multis laudibus pinxiſſet, tamdem ſubjicit:

Hæc ſed forma mei pars eſt extrema furoris.
Sunt majora, quibus, Baſſe, perire juvat.
Ingenuus color & multis decus artibus, & quæ
Gaudia ſub tacita dicere veſte libet.

q. d. non tam eo nomine illam amo, quòd pulchra ſit & cum priſcis heroinis contendenda: quàm quòd nativa eſt illius forma, & nulla arte parata. Quare verſu tertio legendum cenſeo:

Ingenuus color & nullis decus artibus, ——

id eſt, forma nativa. Sic eleg. 2. *naturæ decus* dixit nativam pulchritudinem.

Ibidem:

Et volucres nulla dulcius arte canunt.

nam

nam quum arte multæ ſe pulchras reddere ſtudeant, eadem eleg. 2. *Artificem forma* dixit; eas innuens, quæ creta cande ſe faciunt, quaſi bonæ ſint, non dico frugi, ſed verò formæ, cujus exornandæ nonnullæ æquo plenius ſtudioſæ. *Extrema pars furoris mei*, id eſt, minima amoris in illam mei cauſſa. Sic eleg. 11. lib. 1.

Ecquis in extremo reſtat amore locus?

Et Petron. *Lucerna quoque humore defecta tenue & extremum lumen ſpargebant.*

Quibus perire juvat, hoc eſt, propter quæ illam pereo ſive amo. *Perire* ſeu amare aliquo, id eſt, ob aliquid. Phraſis nota, cujus plura exempla apud Palmerium. Et quòd ſuperbe dicta a Nemeſi vindicari putabantur, iſtam nimiam felicitatem ſuam ſub veſte narrandam ait, ne ſcllicet à Nemeſi exaudiri poſſit: cujus rei teſtimonium, unde petam potiùs, quàm ab ipſomet Propertio, lib. 2. eleg. Hoc erat. 17.

Tu tamen interea quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clauſa ſinu.
Namque in amore ſuo ſemper ſua maxima cuique
Neſcio quo pacto verba nocere ſolent.
Quamvis te perſæpe vocet, ſemel ire memento.
Invidiam quod habet, non ſolet eſſe diu.

CAPUT XIX.

Aliarum rerum, vetus loquendi formula. Ciceronis locus gloſſemate liberatus. Plerum pro plerumque. Caſſa fides. Voluptas, Libido pro voluntate. Symmachus emendatus.

VERBA ſunt Symmachi 9. epiſt. lib. 1. Tunc noſtrates viri, qui inter ſe aliarum rerum ſæpe diſſentiunt, concordem ſententiam ſuper hujus laude

laude tenuerunt &c. In quibus obſervatu digniſſima antiqua illa loquendi formula, *Aliarum rerum*, pro eo quod vulgo fere dicimus, quantum ad alias res attinet. Hanc & politiſſimus ſuaviſſimæque apud omnes doctos memoriæ vir (non ut eum Lombardus quidam ſtipes, & inficeto inficetior rure, vervecum in patria natus, & ex ſterquilinio effoſſus, in centonibus ſuis gloſſographicis petulantiſſime nuper allatravit) Hanc, inquam, Franciſcus Hotomannus, quo ſol meliorem & doctiorem non illuxit alterum, lib. obſer. 4. cap. 11. pluribus exemplis corroboravit. ut l. 27. §. 5. D. ad. L. Aquil. l. quia volgo 24. D. ædilit. edict. Et Terent. Adel. act. 4. ſcen. 5.

> Nolim ceterarum rerum te ſocordem eodem
> modo.

Et Cicer. Catone majore haud ita longe à principio:

> *Sæpenumero admirari ſoleo cùm ceterarum rerum tuam excellentem perfectamque ſapientiam, tum vel maxime &c.*

Et adſentior eruditiſſimo mihique merito ſuo cariſſimo Dn Cunr. Rittershuſio, qui in ſuis ad Inſtitutiones Juris Commentariis eamdem Ciceroni phraſin redonandam putat. Nam in Bruto duabus plùs minùs paginis quum legitur:

> *Tum ille, ceterarum rerum cauſſa, inquit, iſtuc & doleo, & dolendum puto: dicendi autem me non tam fructus & gloria, quàm ſtudium ipſum exercitatioque de lectat.*

illud *Cauſſa* ab inepto librario, cui illa phraſis illius venuſtas placebat minùs, interjectum rectiſſime conjecit. & probabunt, opinor, qui eum locum paullo

paullo diligentiùs conſideraverint. Neque heic diſſimulabo ejuſdem Rittershuſii aliam conjecturam de hac ipſa Symmachi Epiſtola. Nam pro, noſtrates viri, legend. putabat, noſtræ ætatis. Non improbabiliter: nam & aliàs ætatis tuæ homines dicit Symmachus, Plautino more. de quo vide infrà lib. 4, 13. Sequitur in Symmacho:

Credo plane, nec fides caſſa eſt, rhetorum hanc eſſe proſapiam. nam plenum ingenio pectus naſcitur.

M s. poſteriora paullo aliter: *Nam plenum ingenio genus noſcitur.* Et quid ſi legendum ſit? *Nam plerum ing. g. n.* quod ſenſui certe optime conveniet. *Plerum* pro plerumque, teſte Feſto, de quo vide Lævini Torrentii Comment. in Sueton. Prioribus quoque verbis illis Virgilium imitatur:

Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe deorum.

Infrà quoque epiſt. 31. Caſſam fidem dicit. Sic enim ibi legendum, ubi vulgo:

Quaſſa fide ſunt qui jugiter blandiuntur.

Non poſſum autem, quin cetera ejuſdem epiſtolæ recte à Jureto & Lectio emendata, in noſtro quoque libro exſtare profitear omnia, præter ſub finem, ubi vulgatum & ſcriptum in membranis quoque:

Quia tibi facultas ſcribendi præſto eſt, adhibe voluptatem.

illi malunt, *voluntatem.* Sed eo nihil opus exiſtimo. Eodem enim modo voluptatis verbo utitur Symmachus, quo alii *Libidinem* pro voluntate dicunt. Quod niſi ex Plauto, Terentio, Catullo, Salluſtio, aliiſque, conſtare paullo doctioribus intellegerem, plu-

pluribus in præſentia exemplis mihi confirmandum putarem.

CAPUT XX.

Cornelius Nepos vitâ Themiſtocles ſæpiùs correctus. Ingratiis. Sacer, Publicus & Privatus. Inutilis pro damnoſo.

ACcepi æſtate ſuperiore duos Cornelii Nepotis, de vitis excellentium Imperatorum, manu exaratos libros, quos Princeps Maximilianus Bavariæ Dux cum Dn. Giphanio ex inſtructiſſima ſua Monacenſi bibliotheca communicaverat. Eos ego cum Ingelſtadina editione, quòd aliam in mundo non haberem, diligenter contuli, & plurima relatu non indigna deprehendi: ex quibus, quæ in Themiſtoclis vita potiora viſa ſunt, hoc capite exponere decrevi. Ac principio quidem aliam Themiſtocli matrem quærendam conſeo. Quòd enim illam vulgati *Halicarnaſſiam* adhuc dixerunt, id per manuſcriptos codices ſubſiſtere non poſſe intellego, qui eam *Acharnanam* fuiſſe contendunt. Sequitur paullo póſt:

Quòd & liberiùs juſto vivebat & rem fam.

ubi vetuſtior liber, & cujus ego fidem ſæpe planam perſpexi, illud *juſto*, non male fortaſſis, omiſerat.

Ex quo, ut & ex altero, pro eo quod paucis interjectis legitur:

Nulla res major ſine illo regebatur.

lege, *gerebatur*. Quanto meliùs, non attinet dicere. Et poſtea de Oraculo Apollinis:

Themiſtocles perſuaſit conſilium eſſe Apollinis, ut in naves ſe ſuaque conferrent: eum enim ſignificari murum ligneum.

Mem-

Membranæ dictiuncula auctiores: *eum enim adeò ſign.* Lego, *à Deo.* Id eſt, Apolline. Et de Aſtu ſive Athenis à Xerxe deletis:

Idque nullis defenſoribus incendio delevit. cujus fama perterriti claſſiarii &c.

recte M s. *cujus flamma.* Non multo póſt:

Hoc eò valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur.

Membranæ meliùs, *Ingratis.* Quod & Giphanius Indice Lucretiano indicavit: qui tamen perperam Ingratiis tuis Latinum eſſe negat, niſi & Plautum, quod ſolet, Latine locutum negare velit, qui Mercatore, ſc. *Pentheum*, illud uſurpat:

Tuus pater volt vendere tuam amicam tuis ingratiis.

Et Caſin. ſc. *unà adepol:*

Vobis invitis atque amborum ingratiis.

Nam quod ille dicat, *Ingratiis* pro *ingratis* metri cauſſa poſitum, adjectum ei pronomen aliud declarat, *Ingratiis* nimirum non adverbium eſſe, ſed nomen. Sequitur in Nepote:

Namque Lacedamonii cauſſam idoneam nacti propter barbarorum excurſiones, quare negarent oportere &c.

Libri ſcripti, *qua negarent.* Paucis interjectis:

Quare eos infirmiſſimos eſſe volebant.

lege ex M s s. *eos quam infirm.* Sequitur ſtatim:

Poſtquam autem audierunt muros ſtrui.

M s s. *inſtrui.* Sed hoc leve præ eo quod ſequitur:

Interim omnes ſervi atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, ſive ſacer eſſet, ſive profanus, ſive privatus, ſive publicus.

Illud, *ſive profanus*, abeſt à membranis, & recte quidem. Ita & Jus aliud ſacrum, privatum, publicum dicitur. Auſonius gripho ternarii:

Jus triplex, tabula quod ter ſanxere quaterna,
Sacrum, privatum, & populi commune quod uſquam eſt.

Inferiùs in Nepote:

Penates muris ſepſiſſe, neque eo, quod inutile eſſet Græcia, feciſſe.

ita omnino meliùs ex ſcriptis codicibus, quàm impreſſis, *neque eos quod.* & *Inutile* pro damnoſo & pernicioſo poſuit, ut Lucillius:

Servu' nec infidùs domino, nec inutili' quoiquam
Lucilli heic columella eſt ſitu' Metrophanes.

Sequitur:

Scio pleroſque ita ſcripſiſſe, Themiſtoclem Xerxe regnante in Aſiam tranſiſſe.

Sed ego potiſſimùm Thucydidi credo, quòd ætate proximus erat, qui illorum temporum hiſtoriam reliquerunt.

Melior veteris libri lectio:

Themiſtoclem ad Xerxem regnantem in Aſiam tr. S. e. p. Thu. credo, qui ætate proximus ab his, qui illorum t. h. r.

Non multo póſt:

Idem multo plura bona feci poſtquam &c.

M s. vetuſtior legit: *multo plura orſus fui poſtq.*

Et

Et infrá :

Rogo ut de his rebus, de quibus tecum colloqui volo, annum mihi temporis des.

Scripti : *quas tecum colloqui volo annuum mihi tempus des.*

Scio hæc levia pleriſque viſum iri, nec quæ admoneamur ſatis digna. At mihi ita ſedet animo, nihil in auctoribus adeo eſſe puſillum, quin, ubi quoquo modo illis purgandis eſſe poteſt, indicari debeat.

FINIS LIBRI PRIMI.

Viro Clariſſimo,

JANO GRUTERO,

Juriſconſulto, & Philologo eximio,

S. P. D.

GASP. SCHIOPPIUS, FR.

DE Plauti editoribus nonnemo conqueritur; neque id injuria. Nam quò iſta magnifica multorum promiſſa? illos ſe eſſe Hercules, qui hoc ſoli queant perpurgare ſtabulum. Medici illius in Menæchmis in mentem modo venit mihi, qui medicinæ Deo ipſi Æſculapio crus fractum obligaſſe autumat; & Militis, qui Martem ſervarat ipſum in campis Gurguſtidoniis. Tuam fidem, obſecro, Grutere. Umquamne lac lacti vidiſti ſimilius, quàm illorum opera Criticorum ſimilis eſt ei medendi modo? Quare, dum illi dormiunt medici, &, quod vere elegantiſſimus omnium Muretus ait, ſatis ſibi ducunt, quòd opus novum aliis nunciaverint; næ ædepol immortali adorea nomen adficies tuum, quòd Plautum, itidem ut antè Senecam, à capite ad calcem perpurgatum, vitæ redonare & in ſcenam reducere cogitas. Macte iſto animo, acutiſſime Grutere. Macte, inquam. Et triginta illi Suſpicionum tuarum libri, de quibus ſcribis, fac tamdem ut compareant. Non anxie aliorum promiſſa exſpectavero.

ctavero. Manuſcriptis Plauti uteris, quibus ille olim Germaniæ Phœnix & Muſarum pullus, Joachimus Camerarius. Optimæ illi ſunt notæ & fidei planiſſimæ; ut & ipſe, lectiones illorum cum volgatis comparando, re expertus ſum. Uſus illis & antè fuerat V. CL. Cunr. Rittershuſius amicus noſter. Et abſque remoris fuiſſet longe plurimis, fortaſſe & ipſum in hac palæſtra deſudaturum fuiſſe. Et ita quidem vir ille optimus animatus eſt, ut aliis, quàm ſibi, factum velit: gloriamque, quam ipſe multo antè apiſci ex facili poterat, amicis nullus invidet. Noſti quantum qui optime, in quo ipſe auctore olim apud vos edendo ſategerit, quàm multa de ingenio præclare emendaverit: & eum tamen ſibi nunc à me præripi haud moratur; quin ſua olim-opera noſtram prolixe adjuvat. Plautum igitur, cujus itidem gloriam ipſe tibi ceſſit haud ingratiis, age tamdem cum dIs volentibus produce. Tibi enim omnis nunc illa conſiſtit cura. Bene vale, V.CL. & nugas has noſtras juveniles, quas tamen avide videre dixeras, non ſeveriter arbitrare.

GASPARIS SCIOPPII, FRANCI,

VERISIMILIUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Adcommodat pro, adcommodatur. Proquam res poſtulat. Item pro Ita. Emancipare ſibi aliquem. Symmachus aliquotiens correctus.

AD Symmachum redimus. In eo paucula, non magnæ ſane rei, lectoribus capite hoc proponere lubido eſt nobis.

Epiſtola ergo **11**. lib. **1**. exſtat:

Huic ſi fautor acceſſeris, futurum reor ut illi pro labore fructus adcommodent.

Vetuſtiſſimus omniumque optimus codex habet, *Adcommodet.* Recte, opinor. quamvis alterum æque bonum, modo abſolute dictum accipias pro *Adcommodentur.* Sicut *Pallium maculat* ſuprà lib. **1**. cap. **2**, *venti ponunt*, *mare ſedat*, *iræ leniunt*, *terra movit*, in illa epiſtola quam libro ſuperiore c. **5**. principes evulgavimus, & alia ſexcenta tanta, quorum partem Palmerius in ſpicilegiis: quem tu lector vide, & hæc interim mecum conſidera. Sequenti epiſtola **12**. legendum ſuſpicor cum veteri libro:

Non ſatis mihi viderer, proquam res poſtulat, fungi debitum meum.

Pro

Pro eo quod vulgatur, *pluſquam res poſt.* Itemque illo, quod Lectius fecit ſuccidaneum, *prout res poſtulat.* Sequitur ead. epiſt.

Sed ut hoc meæ verecundiæ competit, ita tuæ humanitatis eſt, ut ſtudium noſtrum pari gratia ſuſtineas.

lege ex v. l. *item tuæ hum. eſt, ſtud. noſt. p. gr. ſuſtinere.* Sic apud Ciceronem quoque eſt Item pro Ita. Quod autem ſequitur in veteribus Jureti & Giphanii membranis:

Totum me, inquies, emancipavit ſibi cura prætorii,

Falſus fuit, ut opinor, Juretus, qui *emancipavit* damnat, & pro eo *mancipavit* ſubſtituit. Nam ſi Horatius militem feminæ emancipatum dicit eum, qui in ſervitutem feminæ traditus eſt, obſtare cauſſa nulla poteſt, quin eum, cui cura ex cura naſcitur, emancipatum quoque curis dicamus. Sed quid verbis opus eſt? Cicer. in Caton. majore: *Ita ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi jus ſuum retinet, ſi nemini emancipata eſt.* Plaut. Bacchid.

Nunc mulier tibi me emancipo, tuus ſum.

In epiſt. 13. ſub finem editum eſt:

Futurum reor, non ut me qui reſidi collatione alterius venientis inceſſas, ſed ut illum magis pro utroque ſuſcipias.

Ms. diſertim legitur: *venientis alterius inc.* Quare totum locum ſic legendum ſuſpicor:

Non ut me qui reſtiti collatione venientis alterius inceſ.

Ignoſci ſibi petit, quòd ipſe non ad Auſonium venerit, rogatque ne ſe, qui domi reſtiterat, minoris faciat præ illo, qui ad eum venerat.

CAPUT II.

De Crypta Petroniana nova opinio. Sacra myſtica. Locus ſacræ ſcripturæ interpretatus. Turbare, abſolute. Anteceſſus, pro eo qui anteceſſit. Succeſſus. Petronius de conjectura correctus.

SEquitur in Petronio, in quem ſuprá:

> *Ego ſum ancilla Quartillæ, cujus vos ſacram ante cryptam turbaſtis.*

Multis nobiliſſ. & eruditiſſimi Douzæ interpretationem arriſiſſe ſcio, cryptam heic Neapolitanam intellegi putantis, & corrigentis inſuper: *cujus vos ſacrum ante Cryptam turbaſtis*. Et illa fortaſſis vera ſunt: mihi tamen ſeorſum ſentire liceat. Cryptam igitur heic accipio pro ciſta, in qua Priapi ſacra abdita. κρύπτειν enim eſt abdere & recondere. Jam verò deorum quorumdam ſacra myſtica erant, nec cuiquam ea fas enuntiare. Sicut Horat. de Baccho lib. 1. od. 18.

> ——— non ego te candide Baſſareu
> Invitum quatiam, nec variis obſita frondibus
> Sub divum rapiam.

Et teſtantur idem de gentilibus ſacræ literæ. Libro namque Sapientiæ cap. 14. verſ. 23. de gentili impietate: *Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes.* Quæ verba, quis tam matula, ut non ad Orgia, Pervigilia, & ſimilia, referenda videat? Et rectiſſime vertit Germanicus Interpres: oder pflegen Gottesdienſt der nicht zu ſagen iſt. Græc. text. habet, *ἢ κρύφια μυστήρια ἄγοντες*. Quod Horatius lib. 3. od. 2.

> ——— vetabo qui Cereris ſacrum
> Volgarit arcanæ, ſub iiſdem
> Sit trabibus, fragilemque mecum Solvat faſelum.

Myſtica

Myſtica autem & arcana Priapi quoque ſacra fuiſſe, infrà docemur, ubi ſic de illis Quartilla :

Neque enim impune quiſquam quod non licuit adſpexit.

Et rurſus :

ne juvenili impulſi licentia, quod in ſacello Priapi vidiſtis, volgetis, deorumque conſilia proferatis in populum.

Dicit ergò ancilla, Eucolpion & Aſcylton turbas ante cryptam illam ſacram dediſſe. *Turbaſtis* enim abſolute dictum accipio pro, turbas dediſtis, excitaſtis. Sic Plaut. *Turbat equus lepide ligneus.* Et ego quidem ſic cenſeo. Sequitur paullo póſt :

Quanam eſt hæc, inquit, audacia? aut ubi fabulas & anteceſſura latrocinia didiciſtis?

Non video, quid *anteceſſura* illa *latrocinia* ſibi velint. Id enim exquirit Quartilla, ubinam iſta mendacia & furta (hæc enim Petronius latrocinia vocat ſolens) didicerint, de quibus ſuprá. Quare non vereor reſcribere :

& anteceſſa ea latrocinia didiciſtis?

Anteceſſus pro eo, qui anteceſſit, ſicut *Sol occaſus*, id eſt, qui occidit, in legibus 12. tabb. *Homo ventus, adventus*, qui advænit, apud Terentium & Salluſtium, ut Palmerius docuit. Et Cic. Filius lib. 16. epiſt. fam. ad Tiron.

Nam cùm omnia mea cauſſa velles mihi ſucceſſa, tum etiam tua,

Ad quæ verba ita nugatur illud fruſtulum typographi in Pſeudocicerone ſuo :

Et tamen quid eſt barbare loqui, ſi hoc non eſt?

 Itane

Itane vero * * * barbare? Unde iſtæ tibi edictiones pluſquam Grammaticæ? Quid? non legere memineras apud Plautum ſucceſſa bona, id eſt, quæ bene ſucceſſerant? Prologo Pſeudoli: *Hos fugitaſtis, Quirites, ſucceſſis bonis.* Ergò igitur, deliciæ virunculi, poſtmodum cave ſis malo. Simul enim aliam itidem commerueris noxiam, virgæ tibi in mundo erunt.

CAPUT III.

Proprius pro diuturno. Opulentus & Opulens. Cornelio Nepoti ſemel, Symmacho ſæpiùs, ſuppetiæ latæ.

MIRIFICE me torſit Symmachi locus, qui ſub finem epiſtolæ 15. lib. 1. legitur hujuſmodi:

> *Et quia perfectis atque elatis in cumulum bonis nihil adjici poteſt, velint tutari erga te propria quæ dederunt.*

Adjecit ad oram libri Juretus, ſic ſibi legendum videri, quum V. C. habeat: *tuta erga & propria q. d.* Sed Phraſis iſta, *Tutari erga te* parum mehercule bonis ſcriptoribus digna, & modò non barbara videtur. Giphanianus codex ne ipſe extricare & evolvere me ex hoc labyrintho potuit. Ille enim dictiuncula auctior: *velint tuta erga te & propria q. d.* Quæ lectio ſi cui probabitur (mihi certe diſplicet) hoc modo explicanda erit: dI velint, ut ea, quæ in te contulerunt, tuta erga te ſint & perpetua. Sed quid ſi legamus: *Velint tutum ergò te & propria quæ dederunt.* Dii velint te tutum, id eſt, ut tu ſecurus & tutus ſis, & quæ jam dederunt, diuturna. *Proprius* enim pro diuturno eleganter admodum dicitur: cujus exempla etſi Nonius ex Virgilio, Terentio,

Cice-

Cicerone compluria conlegit, unum tamen ex Nepote extrema Thraſybuli vita proponam, unde omnium promptiſſime uſus ejus à rudioribus inſpici poſſit.

Nam munera parva diutina; locupletia non propria eſſe conſueverunt.

Non longe quoque à veteris ſcripturæ veſtigiis abiretur, ſi legeremus in Symmacho:

Velint tuta ſervare & propria quæ dederunt.

Sed de eo doctiores viderint. Jam in 18. ejusdem libri epiſtola leve quiddam videbimus, ſed conſideratione noſtra non indignum. Editum eſt ergò in illa:

In queis, ut opinor, opulentiæ eruditionis tuæ neglegens veritatis librarius diſpliеebit.

Pro eo V. C. *In quis ut arbitror opulentia eruditioni tuæ.* Cuivis proclive fuerit emendare: *Opulentæ eruditioni tuæ.* vel etiam, *opulenti eruditioni.* Ut ſcriptum fuiſſe dicamus: *opulenti ærud.* & illud *a*, quod ab indocto librario in principio ſequentis dictionis adpoſitum erat, cum fine præcedentis poſtea coheſerit: quod illi demum factum ſæpiſſime ſciunt, qui in vett. libris multùm verſantur. Jam autem opulentus & opulens dicitur. Nepos Chabria:

Libenter de iis detrahunt, quos eminere videant altiùs: neque animo æquo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam.

Sic enim ibi membranæ veteres, quibus uſi fuimus: quod Giphanius quoque, ut video, in Lucret. Indice in *Suaviloquus* ex ſuo codice confirmavit.

C A-

CAPUT IV.

Plautus Milite interpretatus. Talaria lex. Rurſum de ſententia Mel. Kochii & mea emendatus.

QUum abhinc biennium in incluta Altdorfina Noricorum Academia agerem, præterquam quòd valde me loci capiebat amœnitas, tum & Melioris Kochii hominis Franci familiaritas quantum me delectaverit, id teſtari poſſit cum ceteris Academiæ illius doctiſſimis Profeſſoribus amicis vir clariſſimus Cunr. Rittershuſius, hoſpes utriuſque noſtrûm, meus etiam præceptor fideliſſimus, & ipſe ego non ſine maxima adhuc voluptate recordari ſoleo, ſed verbis tamen id ipſum exprimere haudquaquam poſſim. Si quando præclaram hominis illius in Jure civili & Poëtica eruditionem recogito, tamen non tam gaudere mihi, quàm præſtantes iſtas ingenii dotes illi invidere cogor: ſi ſuaves ejus mores & ſermones ad amiciciam factos, tum vero omnis mihi invidiæ ratio adempta videtur. Quare dum per eos, quibus id in manu erat, unà nobis vivere licebat, numquam ipſe mihi deeſſe volui. Itaque hominem ab aliis, illo & me adeo, utpote barbaris, indignis, ſæpiùs ſeducebam, & ad ambulationes ac ſermones de ſtudiis hiſce noſtris cædundos blande invitabam. Conſpatiantibus aliquando nobis quum ad manum eſſet Plautus, temere, ut fit, in Militem incidimus: quumque illud ſc. 4. legeremus:

——— diſperiiſtis, ni uſque ad mortem male
mulcaſſitis,
Atque adeo ut ne legi fraudem faciant Talariæ,
Accuratote ut ſine talis domi agitent convivium.

Com-

Commodum, inquit, Hottomanni in mentem mihi venit, qui in legum Romanarum Indice Talariam hanc de talorum luſu latam, & facete ad legem aliquam de alea veterem adluſum putat, qua talorum luſus conviviis interdicebatur. Sed quomodo ſenſus tum conſtare poſſit, ampliùs diſquirendum exiſtimo. Tum ego more meo occupans, illumque antevertere geſtiens, Non male, inquam, Hottomannus ad veterem aliquam legem de luſu adluſum putat. Quòd verò in ea talorum luſum conviviis interdictum cenſet, fugit eum ratio. Et quòd doctiſſimus Douza in Centurionatu ſuo lege Talaria in dominii convivialis ſortitione talos ſervis interdictos autumat, id quodque ab nulla ratione videtur. Nam certe in Sticho, ubi ſervile convivium deſcribitur, Magiſtrum convivii, luſu etiam inter ſervos electum videmus. Ait ibi Sagariſtio ad Stichum:

——nos volo
Tamen ludere inter nos. Strategum te facio huic
convivio.

Sed verum puto; quod modo in mentem mihi venit. Juſſerat ſenex, ſi quemquam militis familiarium in tegulis vidiſſent, ei ut talos defringerent: nam ſic futurum ut ſine talis (non illis luſoriis, quod tamen velle videtur, ſed poſterioribus pedum partibus) convivium facere cogantur. Quod ſi fiat, nullum eſſe periculum, ne alter alterum in iſta ſortitione Dominii fallat. Hoc enim ibi eſt fraudem facere legi talariæ, invicem nimirum in talorum luſu fallere; non, contra legem, quæ hoc prohibeat, talis ludere. Hoc igitur & pluribus verſibus conſumptis, quum ad verſum ſcenæ illius 62 perrexiſſemus:

Tibi

Tibi ego dico, aneuritatus ne ſis. heus te alloquor, Palæſtrio.

Quid hoc malum monſtri? Inquit, *Aneuritatus.* quod ego pol niſi Sibylla legerit interpretari alium poſſe reor neminem. Nec diu moratus, quid ſi legamus, inquit:

Tibi ego dico inebriatus ne ſis. h. t. a.

V enim & B ſæpiùs vice inter ſe mutua verterunt. Et recte, inquam, tu illud, mi Kochi, & ſagaciter odoratus. Vide tamen ſi mea lectio ex tua ſubito nata præſtabilior videatur. Minima enim mutatione lego:

Tibi ego dico, an ebriacu's? ne ſis. heus t. a.

Tantum verò, inquit ille, abeſt, ut meam tua meliorem putem, ut totam etiam tibi deberi libens profitear. Sed quid vetat, quin Lambinum conſulamus, ſi forte veterum librorum conſenſu conjecturæ noſtræ adjuventur. Domum ergò reverſi immaneſ illos & verboſos, &, ut verbo dicam, Lambinianos commentarios evolvimus, reperimus quod neuter putare debuerat, hanc nimirum lectionem:

Tibi ego dico, ebriacus ne ſis. heus t. a. P.

pro qua tamen, quamvis levicula, ſanequam de ſe ſi creditur ipſi εὐστόχως inventa, non querneam coronam, quæ ſervati erat civis præmium, ſed triumfum, ſibi poſtulare audet. Quem, ſubjicit Kochius, ſi ſenatus illi Criticus decernet, non immerito Virgilianum illud exclamabimus:

MOPSO NISA datur. quid non ſperemus amantes?

CAPUT V.

Atque adeo. Perſeverare amorem. Diligentia pro amore. Uberare pro augere. Aliquot novæ in Symmacho lectiones.

IN 35 epiſt. Symmachi lib. I. minùs recte legi verba hæc exiſtimo:

ſed ſi bene exiſtimo actutùm merebitur, atque ideo diligetur. De hoc nihil ampliùs. neque enim &c.

in Ms. eſt *diligentur.* quare doctiſſimus Lectius, interpunctione poſt *merebitur* collocata legit: *atque ideo diligenter de hoc n. a.* Quod mihi tamen non probavit. & ita potiùs legerim: *actutum merebitur atque adeo diligenter.* Non ſemel in hoc auctore ita peccatum, ut *ideo* pro *adeo*, & viciſſim hoc illi, ſuccedaneum à librariis poneretur. Ut infrà lib. 6. epiſt. 48. legitur: *atque ideo à vero diſſentire rumores.* Quum tamen ex v. l. legi debeat, *atque adeo.* Sed de eo aliàs: nunc ad illa quæ ſequuntur.

Illud te potiùs oratum volo, ut in noſtra diligentia perſeveres.

Lege meo periculo, juvante codice Ms. *ut noſtri diligentiam perſeveres.* Quomodo & infrà lib. 9. epiſt. 79. Symmachus noſter loquitur:

Quare hujuſmodi operi frequenter accingere, & amicitiæ diligentiam ſedulo perſevera, quum hoc negotium tibi noſtri officii viciſſitudo commendet.

Sic enim eum locum totum ex v. l. reſtituo, qui vulgo aliter. Sic & hoc libro epiſt. 90.

Vale, & ut es noſtri diligens, religioſam obſervantiam perſevera.

Ita eum locum vulgo recte ſcriptum contra Lectii inter-

interpolationem ex M s. noſtro adſero. Nec novum videri debet, *Perſeverandi* verbo active, ut aiunt Grammatici, uti Symmachum. Sic præter ceteros & M. Tullius pro Quinct.

> *Ut neceſſario confiteare, neque eorum tam temerarium quemquam fuiſſe, neque te ipſum, quod turpiſſime ſuſcepiſſes, perſeverare & tranſigere potuiſſe.*

Diligentiam quoque, ut ſæpe, à *Diligo*, nova notione pro amore poſuit. Quod temere tamen imitari nolim. Epiſtola 37.

> *Hunc tibi in manum vel magis in animum libens trado. Nam mihi ſumma curatio eſt, ut amicicia tua boni inuberent.*

Corrige volente M s. *Ut amiciciam tuam boni uberent. Uberare* ergo pro augere, uberem & auctiorem reddere poſuit: quod tamen nuſquam legi, niſi apud Palladium:

> *Hoc velut coitu ſteriles arbores uberantur.*

Sequitur:

> *Sed ne prolixo teſtimonio ſuſpicionem laudis incurram, quæſo de eo judices.*

Meliùs membranæ: *ne ſuſp. laudatoris incurram, quæſo ipſe de eo jud.*

Epiſt. 47. leviter locum qui ſic vulgo legitur:

> *Aliis igitur dabis verba, qui te congreſſu primo, te non noverunt.*

ita ex manuſcripto conſtituo: *qui te congreſſu primore noverunt.* Delenda eſt negatio, quamvis renitente Lectio. Hoc enim vult Symmachus: poſſe illos quidem à Prætextato falli, qui eum primore ſaltem congreſſu norint, ſe non item.

CAPUT VI.

Lumen meum, Lux mea, pro amica. Propertius poſt Scaligerum tentatus; idem interpretatus.

VERSUS ſunt Propertii eleg. 8. libro primo, qui ſic olim legebantur:

Nam me non ullæ poterunt corrumpere tædæ,
Quin ego, vita, tuo limine verba querar.

Scaliger quum in libro veteri pro *tæda* reperiſſet, *de te*: pro *limine* vero *lumine*, ſic legere nos docuit:

——— de te
Quin ego, vita, tuo lumini acerba querar.

Et hoc modo interpretatur: nullarum umquam mulierum amor poterit me flectere, quin ego ea querar de te, quæ tibi acerba futura ſunt. *Lumini tuo*, hoc eſt, tibi ipſi: ut ſuprà, *noſtra gratiſſima vita*, id eſt, nobis. de quo infrà lib. 4. cap. 13. Quam ſummi viri emendationem, ut libenter amplector, ſic ab explicatione nonnihil abeo. Puto enim, *tuo lumini acerba*, dicta, ſicut ob ea, quæ inviti ſpectamus, oculi nobis dolere vulgato proverbio feruntur. Niſi ſi legendum fortaſſis eſt:

Quin ego, vita, meo lumine acerba querar.

de te meo lumine, id eſt, amicâ meâ. Siquidem veſanientes illi amatorculi amaſias ſuas *Lucem*, *Lumen* & *Vitam* vocare ſolent. Cujus tot jam ſunt exempla à Briſſonio prolata, ut immorari pigeat. Sequitur eleg. 9. locus ſubobſcurus, quo ab ancillæ amore Ponticum conatur avocare:

Nec te decipiat, quòd ſit ſatis illa parata.
Acriùs illa ſubit, Pontice, ſi qua tua eſt.

Quippe ubi non liceat vacuos ſeducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor.

Hoc videtur velle: Si putas, minùs te ancilla tua arſurum (ſic eleg. 17. lib. 2. Et ſe plùs uni ſi qua parare poteſt) eo quòd illa ſemper parata ſit facere quod dictat diſtenta libido, & illa promptitudo ſatietatem tibi adlatura videtur, erras. Quæ enim tua eſt & tuis in ædibus verſatur cottidie, acriùs amari ſolet; ab ea enim nec oculos avertere & dormire, nec alio nomine ſive alia cauſſa, quàm propter amorem, vigilare poteris. *Cedat* pro concedat, rectè interpretatur Lipſius. *Amor non concedit*, ut alio nomine vigiles. Sic eleg. 5. lib. I. *de nomine*, h. e. ideo, ſicut *eo nomine* pro ea re.

Quàm citò de tanto nomine rumor eris?

CAPUT VII.

Fiſci depoſitum Symmacho P. V. reſtitutum. Puncta ferre, ſuffragia ferre, id eſt, laudari. Gemina Symmachi lectio, conſtituta.

Evenit ea tempeſtate, ut etiam fidei depoſitum belli jure raperetur.

VERBA hæc ſunt Symmachi ex 58. epiſt. lib. I. in quibus inſigne mendum, quod heſerat & fefellerat, membranis volentibus, eluam. Legendum ergò *fiſci depoſitum*. Quod & ſequentibus mihi confirmare videtur. Ait enim, illud fiſci depoſitum per magiſtratus ærario reſtituendum fuiſſe.

Epiſtola 99. ejuſdem libri:

Committo eruditioni tuæ vigiliarum mearum teſtem libellum, quem nuper ſuſtulerunt in Senatu civium ſecunda ſuffragia.

Ita

Ita quidem adhuc editum: & doctorum ſecunda hæc lectio ſuffragia meruit, non etiam meum, nec tuum forte, erudite lector, qui veteris libri ſcripturam mecum pariter amplexabere: *Quo nuper in ſenatu ſuſtuli civium ſecunda ſuffragia.* Fere ut Horatius:

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Eſt enim *punctum* nihil aliud quam *ſuffragium.* ſiquidem ſuffragia ex lege tabellaria non voce, ſed puncto ferri debebant, ut vetus Horatii interpres ad illum locum admonuit.

CAPUT VIII.

Differentiam inter Diſcidium & Diſſidium adlatam à viro docto, veram non videri. Et quod idem contendit Nihilum mediam ſemper producere, à veteribus non obſervatum. Poëtas proſodiæ regulas vulgari pronunciationi poſtpoſuiſſe nonnumquam.

QUOD Hub. Giphanius ævi noſtri Papinianus in doctiſſ. illis ſuis Conlectaneis de *Diſcidii* & *Diſſidii* diſcrimine protulit, & complures poſtea viri docti facta in ſententiam ejus diſceſſione amplexi fuerunt, vereor ut cuiquam ſatis probare poſſim. Non male omnino facturum me exiſtimo, ſi ipſius heic verba ex Indice Lucretiano repræſentem;

Diſcidium, inquit, pro diſtractione; interdum pro divortio. Diſſidium animi eſt. Diſcidium vero corporis, à diſcindere, id eſt, dirimere. Vox apud omnes bonos ſcriptores depravata &c.

Audio quidem, mi Giphani, & quid cenſeas intellego. Sed dignum & idoneum aliquem de veteribus ſcriptorem adductum oportuit, qui teſtis vel

vel tibicinis vicem opinionem porro tuam ſuffulciret. Nam veteres codices quod attinet, non ea eſt, nec eſſe debet illorum auctoritas, ut reclamantibus auctorum exemplis, novam vocum differentiam in Latium poſſint invehere. *Diſcidium*, ex M s s. non male adſeri, non negaſſim. Sed ad eam faciem, qua dictum, divertere à diſſidio, id verè non conceſſerim. Etenim ne longe abeam, ſed apud Propertium potiùs, quem libro hoc conjecturis noſtris paſſim adjuvaſſere eſt confidentia, maneam; ſi *Diſſidere* apud illum res multis à ſe millibus invicem diſtantes dicuntur, cur *Diſſidium* animi potiùs, quam corporis eſſe debeat, equidem ignoro. Verſus ſunt Propertii eleg. 12. Quid mihi deſidiæ. lib. 1.

Tam multa illa meo diviſa eſt millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano.

Et illa quæ hanc antecedit elegia:

Tu modo quàm primùm corruptas deſere Baias,
Multis iſta dabunt litora diſſidium.

id eſt, multos amantes diducent, ut ipſe loquitur, & à lecto divident. Atque hoc quin eruditis probaturus ſim, ipſe me Giphanius dubitare vetat. Vix enim mentio illi à me ea de re injecta, quum eam ſibi ob eumdem Propertii locum diſplicere oſtendit. Similis eſt ratio in præfatione ad Lectorem Lucretii ſui, ubi adſerit, *Nihilum*, mediam ſemper longam, numquam verò brevem habere, quum ab *Hilum*, quod eſt aliquid, deducatur, cujus primam perpetuò produci. Sed Grammaticam hanc edictionem inſuper habet Catullus in Hymenæo:

Cœlites nihilominus - *v* / - *vv* - / *v v*

Verum

Verum tamen eſſe poteſt, quod idem cenſet Giphanius, vulgo fortaſſis ita pronunciatum fuiſſe, & pronunciationem vulgarem poëtas ſequi præoptaſſe potiùs neglecta verbi origine. Et adfert exempla non pauca in ſuis ad Prudentium notis. Adfert aliquammulta & magnus ille Scaliger in Auſonianis lectionibus lib. 2. cap. 21. Dixerunt *Neſtorem, Hectorem*, *Phædromum*, media correpta, quum ſit tamen φαίδρωμος, & in eo Plautum vulgi judicium ſecutum eſſe: quia cum plebe, non cum doctis rem ſibi eſſe videret. Sic *Trigonus*, media brevi, quum ſit τρίγωνος. Sic *Idola* eſt dactylus apud Prudentium. Ita poſteriorem in *Thales*, *Lyriſtes*, *Ganymedes* corripiebant. In epigram. Virgilii:

Aut tradat Ganymedes ipſe nectar.

CAPUT IX.

Demagis, idem quod Valde. Feſtus ſemel, Symmachus non ſemel ſanatus.

SECUNDO Symmachi epiſtolarum libro epiſt. 12. miror tam perſpicuum mendum à doctiſſ. Lectio relictum. legitur enim:

Etſi minùs vereor ne quid in nos fraudis admiſerit ſimulata antè properatio.

quum rectiùs meo quidem animo cum v. l. legatur: *etſi minis vereor*. Et ſæpe duo hæc inter ſe commutarunt, ut & apud Feſtum:

Demagis pro minùs antiqui dicebant.

Corrigo: *pro nimis*. id eſt, valde. Siquidem Nonius *Demagis* pro valde magis interpretatur, ut τὸ *De* more ſuo intendat & augeat, ut in *Derepente*, *Deſubito*, *Deproperare* &c. Et Gloſſæ veteres: *Demagis*, σφοδρῶς. Sed ad Symmachum redeo, epiſt. 22.

 Spe-

Speraſſem jamdiu corpuſculi mei valetudinem, ſi frui agrorum ſalubritatem potuiſſem.

leg. jubente v. c. *Reparaſſem jamdiu.* Et ſeq. epiſt. principio:

Putabam, tot monitis atque exhortationibus meis aliquid animo tuo acceſſerit tolerantiæ.

Non ut vulg. *tot momentis atque ex.*

Epiſt. 31.

Et vereor ut ſuſcipias ullum pro abſentis exiſtimatione certamen, atque in te aliqua odia detorqueas. Peto igitur ut quieſcas.

Quis adeo elefanti corio circumtectus, quin recte me videat emendare: *Vereor ne ſuſc.* Petit enim, ne pro ſe abſente defendendo laborare velit. Levis eſt emendatio, quam nunc addam; ſed addam tamen. Epiſt. 41:

Qui & ſpero probitati ejus reſponſuram beneficentiam tuam, ſedulo tamen poſtulo &c.

legend. *qui etſi ſpero.*
Et epiſt. 43:

Merita Calabrionis qui antehac Calabriam redit.

Lege meo periculo: *Calab. rexit.*
Illud non item leve viſum iri ſpero: princ. epiſt. 45:

Qui domini beneficio potiuntur optatis, venerari ipſos coràm dominos bonorum gratia inſtar exiſtimant.

Pro *Qui domini* legitur in M s. *quid cum.* Certa ut arbitror eſt emendatio:

Qui deûm benef. p. o. v. i. c. datores bon. g. i. e.

Sic poſteriora ex membranis recte me ſcripſiſſe & benignis Muſis exiſtimo.

CAPUT X.

Celebritas ædium pro atrio. Celebrare. Nonius emendatus. Douza irritus in Nonio conatus. Deliberare pro Conſulere aliquem. Cor. Nepos Miltiade gloſſa liberatus, & rurſum correctus.

LOCUS eſt in vita Miltiadis à Cornelio Nepote (qui male vulgo Æmylius Probus dicitur) deſcripta, qui mihi de menda ſemper ſuſpectus fuit. Sed antequam eum propono, explicabo priùs rudioribus, quid *celebritatem* vocet Nepos in præfatione ad Atticum, quum ſcribit:

Cujus non materfamilias primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur?

Intellegit autem eam ædium partem, quæ celebrari, id eſt, frequenter adiri & omnibus ingredientibus patere ſolet, id eſt, atrium, in quo matronæ lectus adverſus ſeu genialis ſterni ſolebat, ut in eo lanificium exerceret. Adeundi tibi Lipſius I. Elector. cap. 17. & Joſ. Scaliger ad Feſtum in Palilia, & ad Catulli carmen in Januam, ut & in fine caſtigationum Propertianarum. *Celebris* autem, ut & docuit Giphanius, veteribus nihil aliud eſt, quàm frequens, ut *via celebris* apud Catonem. Et *celebrare* eſt frequentare ſeu frequenter adire. Lucret. in principio:

Alma Venus, cœli ſubter labentia ſigna
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras, per te quoniam genus omne animantum
Concipitur ———

Quo loco Nonius *Concelebras* pro *commoves* dictum exiſtimat. Male. Idem enim eſt, quod, celebres, cultas

cultas ac frequentatas reddis, ſive frequentas. quia Veneris opera & beneficio omne animantium genus oritur. Sic lib. 2.

Et variæ volucres lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant circum ripas, fonteſque lacuſque.

Ceterùm quòd Nonius in *Concelebrare* putat verbum hoc pro *diu amare* accipi, (ut apud Lucill.

Multis inde loci ſermonibu' concelebrarunt.)

vereor menda ut careat. Quare antiquitus ſcriptum putabam, *Diffamare*. Quod in *divamare* pronunciatione dictantis ſimili mutatum. Quod quum poſtea Lipſio quoque in mentem væniſſe viderem, vehementer ſum gaviſus. Is tamen timide adſentitur. Quare mavult, *Divulgare*. quòd ſcilicet *concelebrare* pro *diffamare* inſolenter nimis dictum putaret. Sed tamen *celebris* & *celebrare* modò in bonam, modo in alteram partem accipitur. velut apud Ciceronem *celebrari maledictis* eſt vulgi ſermonibus vapulare. Laudo Douzæ conatum, qui fragmenta nobis Lucilliana coagmentare & compellere conatur: ſed profectò *concelebrare* pro rogare & orare aliquem (ut Douza exiſtimat) Latinum non eſt. nec Nonius notum per ignotius interpretari ſolet. Quod faceret, ſi *concelebrare* per *diu amare*, id eſt, *rogare*, explicaret. Sicut verò *celebrare* pro frequentare eo quo dictum eſt modo accipitur; ita viciſſim *frequentare* pro *celebrare* & laudare in Satyra Sulpitiæ:

Diva, quibus numeris heroas & arma frequentas.

id eſt, carminibus celebras.

Locus autem ille, de quo initio capitis, fere in principio Miltiadis exſtat hujuſmodi:

Ex

Ex his delecti Delpfos deliberatum miſſi ſunt [qui conſulerent Apollinem,] quo potiſſimùm duce uterentur. His conſulentibus Pythia præcepit &c.

Ad quæ verba olim ſic adnotaram : Non immeritò ſuſpectus mihi de menda locus. Quid enim hoc verbi ſit ? miſſi ſunt Delfos ut deliberarent, qui conſulerent. Legerem *Deliberatu*, ſi quis hoc verbum ferre poſſit, id eſt, deliberatione adhibita. Hæc olim. Sed nunc re penſiùs cogitata, nihil mutandum cenſeo ; ſed verba iſta, *Qui conſulerent Apollinem*, hoc ſigno incluſa [ ], à gloſſatoris manu eſſe aio ; qui quum illa legeret, *Delfos deliberatum miſſi ſunt*, interpretationis cauſſa adſcripſit, *qui conſulerent Apollinem.* Quod in contextum poſtea receptum eſt. Id ita eſſe omnes mecum fatebuntur, qui uſum vocis hujus *Deliberare* probiùs cognitum habent. Eo enim auctores utuntur pro Conſulere aliquem. Unde Cicero deliberationem & conſultationem amat conjungere. Ut 3. de Offic. *Sapientem & bonum virum fingimus, de cujus deliberatione & conſultatione quærimus.* Et 1. de Offic. *Ex quo ſunt illa communia, non prohibere aqua profluente, &c. deliberanti conſilium dare.* Idem pro Planc. & 5. Tuſcul. *In Senatu ſententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat.* Et quod heic ait Nepos, *Deliberatum eſſe miſſos*, id in Themiſtocle dicit, *Conſultum eſſe miſſos.* Verba ejus his plane gemina hæc ſunt :

Miſerunt Delfos conſultum quidnam facerent rebus ſuis. Deliberantibus Pythia reſpondit, ut mœnibus ligneis ſe munirent.

Sed quid verbis opus ? neminem tam obeſæ naris futurum ſcilicet, qui gloſſam odoraturus non ſit. Sequitur paullo póſt :

Neque eo ſeciùs Athenienſibus, à quibus erat profectus, officia præſtabat.

Verecunda, immo nulla pæne mutatione lego: *à quibus erat præfectus.* Ab Athenienſibus enim cum imperio miſſus erat, ut ſequitur. Sed in membranis hæc paullo aliter:

Neque eo ſeciùs Athenienſibus. ac quibus cum erat præfectus præfectus officia præſtabat.

Ut ira retinendum videatur, *profectus.* Nec enim collegas habuit Miltiades, quibuſcum præfectus fuiſſet. Quod autem poſtea de pugnæ apparatu inter Athenienſes & barbaros ſequitur:

Poſtero die ſub montis radicibus acie è regione inſtructa, nova arte, vi ſumma prælium commiſerunt.

in vetuſtiſſimo & optimæ notæ Dn. Giphanii chirographo paullo aliter conceptum eſt:

inſtructa, nona partis ſumma prælium com.

quo etſi quid faciam neſcio, ingenioſis tamen hominibus optimi libri ſcripturam, in qua ſe exercere poſſint, proponere volui.

CAPUT XI.

Cordi eſſe. Symmacho quatuor locis medicina facta.

SED jam ad Symmachum noſtrum redeamus. Finis epiſt. 46. libri ſecundi hic eſt in libris editis:

Sed ſi curſualium præpoſitorum avaricia retardantur, erit beneficentiæ tuæ moris quibuſquibus tenentur. Vale.

Egregie v. c. *moras quibus tenentur abſolvere. Vale.*

Epiſt.

Epiſt. 61. Symmachus ob conſulatus ſui deſignationem lætus precatur, ut èadem mox lætitiæ cauſſa ſuper Flaviano ſuppeditet. id eſt, ut ſimiliter conſul fiat. Sed locus, quo hæc precatur, eſt mendoſus:

Quid igitur eximio animo tuo lætitiâ plenus exoptem, niſi ut ſimilis mox fruamur lætitiâ gaudio?

Emendatio eſt certiſſima: *niſi ut ſimili mox fruamur etiam de te gaudio.* Et epiſtola 65.

Quid quod ſæpe bonitas cauſſa cohortatur, ut quod debemus tribuamus prompti æquitati.

Impendio melior. v. l. ſcriptura: *ut quod deb. generi tribuamus promptiùs æqui.* Præceſſerat enim de propinquis.

Ibidem:

Nunc ſi tibi voluntas cordis eſt &c.

Nauci hæc non erunt, niſi corrigas: *nunc ſi tibi voluntas mea cordi eſt.* Et ſi typographis mea doctorumque voluntas cordi erit, ita poſtmodum lectionem nobis conſtituent.

CAPUT XII.

Currum pro navi poſitum videri apud Lucretium.

NEMINEM fore ſpero, qui, quæ nos ut dubia & conjectanea doctioribus porro arbitranda damus, ut firmas & perpetuas animi noſtri ſententias, à quibus alios ſeorſum ſentire nolimus, à nobis propoſita exiſtimaturus ſit. Si *Veriſimilium* nomen tueri ſaltem poterunt, abunde mihi ſatisfactum putavero. Qua

ego

Neque eo ſeciùs Athenienſibus, à quibus erat profectus, officia præſtabat.

Verecunda, immo nulla pæne mutatione lego: *à quibus erat præfectus.* Ab Athenienſibus enim cum imperio miſſus erat, ut ſequitur. Sed in membranis hæc paullo aliter:

Neque eo ſeciùs Athenienſibus. ac quibus cum erat præfectus præfectus officia præſtabat.

Ut ira retinendum videatur, *profectus.* Nec enim collegas habuit Miltiades, quibuſcum præfectus fuiſſet. Quod autem poſtea de pugnæ apparatu inter Athenienſes & barbaros ſequitur:

Poſtero die ſub montis radicibus acie è regione inſtructa, nova arte, vi ſumma prælium commiſerunt.

in vetuſtiſſimo & optimæ notæ Dn. Giphanii chirographo paullo aliter conceptum eſt:

inſtructa, nona partis ſumma prælium com.

quo etſi quid faciam neſcio, ingenioſis tamen hominibus optimi libri ſcripturam, in qua ſe exercere poſſint, proponere volui.

CAPUT XI.

Cordi eſſe. Symmacho quatuor locis medicina facta.

SED jam ad Symmachum noſtrum redeamus. Finis epiſt. 46. libri ſecundi hic eſt in libris editis:

Sed ſi curſualium præpoſitorum avaricia retardantur, erit beneficentiæ tuæ moris quibuſquibus tenentur. Vale.

Egregie v. c. *moras quibus tenentur abſolvere. Vale.*

Epiſt.

Epiſt. 61. Symmachus ob conſulatus ſui deſignationem lætus precatur, ut èadem mox lætitiæ cauſſa ſuper Flaviano ſuppeditet. id eſt, ut ſimiliter conſul fiat. Sed locus, quo hæc precatur, eſt mendoſus:

> *Quid igitur eximio animo tuo lætitia plenus exoptem, niſi ut ſimilis mox fruamur lætitia gaudio?*

Emendatio eſt certiſſima: *niſi ut ſimili mox fruamur etiam de te gaudio.* Et epiſtola 65.

> *Quid quod ſæpe bonitas cauſſæ cohortatur, ut quod debemus tribuamus prompti æquitati.*

Impendio melior. v. l. ſcriptura: *ut quod deb. generi, tribuamus promptiùs æqui.* Præceſſerat enim de propinquis.

Ibidem:

> *Nunc ſi tibi voluntas cordis eſt &c.*

Nauci hæc non erunt, niſi corrigas: *nunc ſi tibi voluntas mea cordi eſt.* Et ſi typographis mea doctorumque voluntas cordi erit, ita poſtmodum lectionem nobis conſtituent.

CAPUT XII.

Currum pro navi poſitum videri apud Lucretium.

NEMINEM fore ſpero, qui, quæ nos ut dubia & conjectanea doctioribus porro arbitranda damus, ut firmas & perpetuas animi noſtri ſententias, à quibus alios ſeorſum ſentire nolimus, à nobis propoſita exiſtimaturus ſit. Si *Veriſimilium* nomen tueri ſaltem poterunt, abunde mihi ſatisfactum putavero. Qua

ego nunc fiducia illum Lucretii locum adſcribam, qui eſt in fronte fere libri VI.

——— quæ reſtant, percipe porro,
Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum
Ventorum exhortatur ſpes, atque obvia rurſum,
Quæ fuerant, ſunt placato converſa favore.

Ubi non adfirmo, ſed videndum tamen puto, an *currum* pro navi poſuiſſe videri debeat Lucretius. Ita enim ut propoſui, illa in vett. lib. ipſo Lambino teſte leguntur. Quod dubito ſi ad ludos Curules referendum ſit. Ad eos enim ventis ſecundis haud ita uſum eſſe exiſtimo. Giphanius tamen verſus hos ut ſpurios delet, nec ullam in illis elegantiam Lucretio dignam adgnoſcere dicit. Quod mihi valde indignum videri ſolet. Cur enim ſpes exhortari nos Latine dici nequeat, exputare nondum potui. Apud Græcos certe currum pro navi frequenter uſurpari Muretus oſtendit, & doctiſſimis ſuis ad Oppianum Commentariis Cunradus Rittershuſius nuper pluribus confirmavit, ſuumque calculum noſtræ ſuper hoc ſententiæ non cunctanter adjecit. Atque hoc quo in Latinis ſcriptoribus rarius eſt, obſervari debet diligentiús. Eodem modo, quamvis cum periphraſi, Catullus de Argo nave:

Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces
Ipſa levi fecit volitantem flamine currum.

CAPUT XIII.

Prædii partem alicui adjurare. Symmachi lacunæ duæ ſupletæ, loca pluria emendata.

SUMMA mihi curatio eſt, ne quis meam accuſet fidem. Quod ergò in libri mei Indice promiſi, multos me ſcriptorum locos non emendaſſe ſolùm,

ſed

ſed auxiſſe quoque,id nemo non præſtitum à me dicet. Unum Symmachum vide ſis. Multas jam ejus epiſtolas numquam antè viſas primùm evulgavimus, lacunas etiam nonnumquam explevimus. Non quidem ex ingenio (nec enim aliorum ritu fumum vendere didici) ſed vetuſtiſſimi codicis ductu & auctoritate. Ut ergò benefacta priora exaugeam mea, lacunam, quæ in 68. libri 2. epiſtola conſpicitur, itidem explebo.

Ut ſilere non poſſum, quotiens ſtylum invitat occaſio: ita ſi deſint cauſſa, longioris adloquii ...... pagina ſtringo compendio.

Conatur quidem doctiſſimus Lectius explere, ut legatur: *adl. ſalutem pag. ſtr.* ſed M s. renititur, & *ſeriem pag.* adgnoſcit. quomodo & alibi auctor noſter loquitur. Sequitur:

Han igitur dico & viciſſim peto ut me proſperorum tuorum indicio munereris.

Hanc, ſalutem ſubintellege, inquit Lectius. atqui ego, vir doctiſſime, pignus tecum in meum talentum & tuum teruncium dare paratus ſum, ni debet legi: *Have igitur dico.* Quod ociùs tibi jàm compaciturum confido. Eodem modo Epiſt. 74. voculam immuto:

Qui furti detulerat actionem, multoſque noſtri ordinis varia criminatione perſtrinxerat.

Heic inquam leg. *noſtri ordinis viros criminat.* Sic epiſt. 84. quum Elpidium patrem ſuum vocat, vitium typographi puto. Fratrem enim vocavit & infrà epiſt. 86. Frater noſter Elpidius.

Epiſt. 85.

Nos & generaliter cum ceteris, & ſpeciatim cum te .... ut ſolebas his muneribus oris ac pectoris tui benignus illuſtra.

Lego

Lego ex Ms. *cum cariſſimis ut ſoleb.*

Sequenti epiſt.

> *Cui poſt venditionem Hiſpanienſis prædii ſui partem [pretii] emptor abjurat, quum ad ſoliditatem tranſcriptæ in novum dominium poſſeſſionis cuncta ex more celebrata ſint.*

In optimo v. c. incluſa vox *Pretii* deſideratur, & pro *dominium* legitur *dominum*. Quare meo quidem animo optime legemus:

> *Cui p. v. H. prædii ſui partem emptor adjurat.*

Elpidius integrum prædium vendiderat; emptor tamen dicebat, partem certam Elpidio manſiſſe. Hanc emptoris audaciam Symmachus mirari dicit, quum tamen inſtrumenta ſoliditatem venditionis oſtendant.

CAPUT XIV.

Sane ſapere. Abire pro mori. Aliquot in Petronium emendationes.

OTIOSI ſuperioribus hebdomadis, ego inquam & V. CL. Ignatius Hanniel, cum nobiliſſ. juvene Joanne de Bredow Eq. Marchico, Petronii Satyricon temporis cauſſa legebamus. In eo ut quicque nobis in mentem venerat, ad oram editionis Douſicæ, quam beneficio CL. Rittershuſii Altorphio habebamus utendam, (nec enim ejus notæ libri ad has oras ſe penetrare ſolent) adnotavimus. Et earum quidem conjecturarum, quæ tunc in ſolidum mihi, nonnullas heic pro ponere volui. Pagina 12 hi ſunt verſus:

> Contemni turpe eſt, legem donare ſuperbum.
> Hoc amo, quòd poſſum qualibet ire via.

Nam

Nam ſane & ſapiens contemptus jurgia flectit,
Et qui non vigilat, victor abire ſolet.

Putabam verſu primo *Regem* leg. non *legem.* q. d. ſummæ eſſe ſuperbiæ regi quid donare, & hoc dono, ejus ſibi amicitiam comparare velle. Videtur verſus ſequens id ipſum confirmare: in quo tamen legerim: *quo poſſum q. i. v.* ut dicat, illud ſe ſolum amare, quod ad impetrandum facile ſit. Tertio verſu legebam:

Nam ſane ſapiens ———

Sane ſapere, pro ſaniter & ut homines ſani ſolent. Quale illud Plauti: *Sane ſapio & ſentio.* Sequenti pag. 13:

Rogo inquam domina, ſi quid triſtiùs paras, celeriùs conſice. Neque enim tam magnum facinus admiſimus, ut debeamus torti adire.

lego: *abire.* & pro mori accipio. Petit ne diu ſe torquere velit. Feſtus: *Abitionem antiqui dicebant mortem.* Vide & Giphanii Lucret. Indic. pag. 14.

Guſtatione mirifica initiati vino etiam falerno inundamur, excepti etiam pluribus ferculis, quum laberemur in ſomnum.

lego: *dum laberemur in ſ.* id eſt, uſque dum. Statim ſequitur pag. 15. locus plane deſperatus; cui tamen contra medicorum præceptum medicinam faciam.

Ancilla totam ejus faciem fuligine longa perfricuit, & non ſentientis labra humeroſque ſopitionibus pinxit.

Douſa legit: *ſcipionibus*, quia apud Catullum legerat:

——— namque totius vobis
Frontem tabernæ ſcipionibus ſcribam.

Sed

Sed quid illud *ſcipionibus* eſſe dicat, cum Scaligero pariter fatetur ignorare. Primùm itaque apud Petronium reſcribo :

humeroſque ſopiti titionibus pinxit.

τὸ *ti* quod ter ſcribendum erat, bis à librario neglectum loco depravando fuit. Sicut ſuprà lib. I. cap. 7. contrario modo apud Symmachum peccatum dixi. ad quod lectorem remitto. Plura ſimilia flagitia fuerant ejus qui librum Symmachi quo ego uſus deſcripſerat. Ut: *non aliter precor*, pro, *non aliter interpretor*. *Sed ſimile*, pro *ſed ſi ſimile*. & alia infinita. Sic apud Nepotem ſcriptum fuerat, *Deinde celiam*, pro *Deinde Deceliam*. Humeros ergò ſopiti ſive dormientis Aſcylti ancilla carbonibus pinxit. Hoc primum: quod Jano Douzæ F. nobiliſſ. juveni præ Gruteriana conjectura probaſſe me gaudeo. Gruterum enim corrigere ait: *Sopitis titionibus*, ut opponantur ardentibus. Sed noſtra lectio propiùs veſtigia receptæ lectionis accedit. Gaudeo tamen, me in loco tam difficili & conclamato idem ferme cum acutiſſimo ingenio cogitaſſe. Deinde apud Catullum itidem legendum cenſeo:

——— *titionibus ſcribam.*

Id eſt, ut Plautus loquitur, & Scaliger interpretatur, elogiorum carbonibus implebo. Unam emendationem paullo majoris momenti ubi adjecero, coronidem caput hoc ſibi pinget. Vulgatur pag. 26.

Uxor, inquit, Trimalcionis Fortunata appellatur, quæ nummos modio metitur. Et modò quid fuit? Ignoſcat mihi genius tuus, noluiſſes de manu ejus panem accipere. Nunc nec quid, nec quare. In cœlum abiit, & Trimalcionis topanta eſt. Ad ſummam, mero meridie ſi dixerit illi tenebras eſſe, credet.

Jovem

Jovem lapidem jurare auſim, ſic eſſe corrigenda:

Nunc nequit negari, in cœlum abiit, & Trimalcionis ſycophanta eſt.

Hoc certe dicit, antè fuiſſe pauperculam, nunc beatam & quaſi in cœlo collocatam, ipſumque adeo maritum Trimalcionem ex lubidine ſua ludificari. Priorum verborum emendatio levis eſt. In poſterioribus: *Trimalcion I S topanta*, puto, τὸ *I S* in fine prioris ita majuſculis ſcriptum fuiſſe, quòd indicaret, eam ſyllabam retro relegendam eſſe pro *S I*: quod illi ſæpiùs factum norunt, qui in Pandectis Florentinis non indiligenter fuerunt. Scripſiſſet ergò librarius *Sitopanta* vel *Sicopanta*, quia *t* & *c* ægre in vett. libris internoſſe poſſumus.

CAPUT XV.

Symmachus aliquotiens reſtitutus.

ADHUC inſigniores mendas ex ſecundo libro Symmachi ſuſtulimus: nunc eamdem tertio operam navabimus, ſi forte integrum vel ab integritate propiùs remotum ſcriptorem illum meâ operâ legere poſſimus. In 4. epiſtola leve mendum eſt, quod tamen niſi eluatur venuſtam ſententiam turpabit. Siluerat diu Symmachus. ex quo ſilentio Julianus illum ſui oblitum efficere & cogere volebat.

Ex hac, ait Symmachus, ſuſpicione amicicia noſtra plus injuria accepit, quàm ex meo ſilentio. Minus eſt enim; neceſſitate officium deſerere, quàm, voluntate propria judicare.

Manca & infirma, ut vides, ſententia, niſi hac correctione mea fulcias: quam voluntate præpropera jud.

Epiſt. 13.

Dum carmina tua ruminas, dum epigrammata componis, fallitur doctis cogitationibus ſenſus laboris.

Manuſcriptus noſter auctior:

Dum epigrammata, oblatis lucis aut omnibus, facis, fallitur ſenſ. lab.

Audacter mecum legas licet: *oblatis lucis aut amnibus.* Solent enim poëtæ vel in luco vel *propter aquæ rivos ſub ramis arboris altæ* lentivaga carmina gignere.

Epiſtol. 25.

Quid de mediocritate ſentias, ipſe videris: uſui enim magis, quàm cultui, apta indumenta voluiſti.

Exiſtimo ita hæc ex v. I. veſtigiis reſtitui poſſe:

Quod de mediocritate parum ſentias, ipſe videris. qui emi magis vilia, quàm c. apta, ind. vol.

Epiſt. 45.

Quando Romam, quando ad urbanum otium, quando ad legendi & ſcribendi ſolatia? ſpero vel velociter.

Omiſſam voculam ex v. c. repone: *ſolatia reverteris?*

CAPUT XVI.

Cluvis pro Cluis. Collis pro Helicone. Syncopa apud poëtas frequentata. In Sulpiciæ Satyram veriſimilis conjectura.

IN Sulpiciæ Satyra mendoſum ſemper putavi, quod ferme principio legitur:

Teque quibus princeps & facundiſſima calles
Adgredior. precibus deſcende clientis & audi.

Cal-

Calliopes opem implorat poëtria, aitque, nolle ſe ſolito more verſus ludere Iambicos, Lyricos & ſimiles, ſed quum Calliopa ſeceſſerit, ejus quoque verſibus ſe ſcripturam, id eſt, heroicis Deæ illius opem imploraturam, ſecundum verſum: *Carmina Calliope libris heroica mandat. Callere principem* pro, eſſe & dici principem, id verò Latinum non eſt. Quare legendum primùm putabam:

Teque, quibus princeps & facundiſſima cluvis.

Cluvis, id eſt, es, pro *Cluis*. ſicut *Fuuit*, *Habuuit*, pro fuit, habuit. Lucret.

Tantalu' qui pœnas ob facta nefantia luuit.

Et: *Sed quòd amara vides eadem quæ fluuida conſtant.*

Plautus:

Tot reddat ſpurcas, quot puras habuuerit.

Enn.

Annuuit, ſeſe mecum decernere ferro. Sed paullo diligentiùs rimanti hoc modo lectionem leviſſima interpolatione conſtituere viſum eſt:

Teque quibus princeps es facundiſſima collis.

q. d. adgredior & invoco te verſibus heroicis, quibus tu princeps es collis Heliconii, & Muſarum maxima diceris. Nec dubito, quin illam ita interpretatam omnibus probaturus ſim.

Sequitur:

Sed genus Auſonium Romulique exturbat alumnos.

Eorum ſuperſtitionem riſi, qui heic *Romi* vel *Remuli* inaudita verba ſubſtituunt, & legi Pedariæ fraudem (ſi dIs placet) fieri exiſtimant, ſi aliquam in

 verſu

verſu Syncopen admittant. Qua tamen veterum optimus quiſque libenter uſi. Hinc Copulata, ſingulariter; Univerſus, in heroico apud Lucretium. Aſpera, diſſyllabon apud Ennium. Oraculum, triſyll. Virgil. Periculo, Pueritia, itidem triſyll. Horat.

CAPUT XVII.

Volvenda dies. Antiquitas pro amore. Otium, Otioſi pro ſcholaſticis. Multa in Symmacho ordine correcta.

JAM Symmachi tertium epiſtolarum librum ſaltuatim percurrere & neglectas à viris doctiſſimis maculas eluere ex eo perſeverabimus. Epiſt. ergò 47.

Quando ita volvenda attulit dies, ut domini noſtri gratiam fortiſſima ſimul ac feliciſſima manu nutantia reipub. pondera fulciantur.

leg. *Dom. noſtri Gratiani.* Quod tamen mirari ſoleo Lectianum acumen fallere potuiſſe. Sed ita eſt nimirum, non omnia omnes pervident, & relinquendum porro aliquid, quo juniorum quoque inclareſcat induſtria.

Epiſt. 49.

Dignus plane talis viri teſtimonio. Quid enim illi ad commendationem ſui tribuetis! Exiſtimaris, hoc aliis quibus commendatus eſt, præſtitiſſe.

Quis Lectium falſum fuiſſe adfirmare auſit, quum vel nunc nubila multa in Symmacho ſuperare dixit? Non ego; qui præter ceteros hunc nubiloſum puto, ſed ita, ut, quod idem ait Lectius, per nubila hæc ſolem cernamus. Sic ergò verba iſta legenda & diſtinguenda cenſeo:

Quod quum illi ad c. ſ. tribueris, exiſtimaris, &c.

Fre-

Frequens in hoc aliiſque ſcriptoribus mendum, *cum* pro *enim*; & *t* pro *r* ſua ſimilitudine facilé feſellit. Non una & altera puſilla emendatiuncula (ceu multi ſolent) caput hoc tibi, erudite lector, explebo: ſed mantiſſæ vicem alia inſuper addam, nec minora, nec minùs tibi grata fortaſſis. Epiſt. ſequenti:

Nunc vero tu abes pars antiqua amicorum meorum. Vicem ſermonis tui veterum ſcripta funguntur.

Repono ex v. l. *Nunc ubi tu abes pars antiquior am. meorum, vicem* &c. Antiquum pro caro poſuit. Quod in vulgus notum. Et ita *antiquitatem* pro amore infrà Epiſt.73 hoc libro.

Nam quum tanta ſit tibi ejus antiquitas.

Sic enim extra ordinem locum illum reſtituo. q. d. quum tantus tibi ſit ejus amor, quum adeo ames illum.

Sequitur:

Sed interventus familiaris negotii rupit officium meum.

Emendo: *otium meum.* Ita ſcite in morem veterum ſcriptorum tempus vocat, quod ſtudiis impendi ſolet. Unde & Cicero *otioſos* dicit, quos vulgo ſcholaſticos hodieque appellamus.

CAPUT XVIII.

Feſtra. Ex hac nota. Profati, verbum vatibus proprium. Catomo dare. Petronii loca forte reſtituta.

PErgebamus in lectione Petronii. Et pag.27, quum ad ea perventum:

Non diu ergo tumultuatus ſtabuli januam effregit, & nos per eamdem terram admiſit.

Nemo noſtrûm erat, cui non depravata hæc viderentur. Nec multùm moratus quid mihi videretur expoſui, legendum nimirum: *per eamdem feſtram admiſit. Feſtra* eſt oſtium minutum. Jam lector literarum ductum mecum conſideret, *f* & *t* non ſemel commutata invicem, ut infrà *tabularum* pro *fabularum.* Jam ergò eſſet, *ferram.* Deinde *r*, pro *s* ſæpe ſcriptitatum, & in vetuſtiſſimis libris duas iſtas literas ægre poſſis internoſcere. De quo capite ſequenti. Similiter *r* pro *t.* quod notum nimis. Eſſet igitur, *feſtam.* Et aliàs quoque apud eumdem Petronium *Feſtam* pro *féſtram* ſcripſerant librarii. Et hanc conjecturam meam jamdiu Giphanio me probare memini. Utinam & aliis! Sequitur in Petronio pag. 29.

> *Ergò me non ruinâ terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare aufugi. Indicium arena impoſui, hoſpitem occidi, ut inter audacia nomina mendicus exſul in diverſorio Græca urbis jacerem deſertus.*

Corrigebam hæc omnia, & ad oram Rittershuſiani codicis notabam:

> *haurire? non irat. et. in. mare? An fugi judicium, ar. im., hoſ. occidi, ut inter &c.*

Nec dubito alios itidem correcturos.

Pag. 32.

> *Cultu non proinde ſpecioſus, ut facilè appareret, eum hac nota literatum eſſe, quos odiſſe divites ſolent.*

Veriſimilis videbatur congerronibus meis lectio noſtra: *cum ex hac nota literatorum eſſe.* Intellegit poëtas. *Ex hac nota*, id eſt, talis notæ. Petroniana phraſis.

Pag. 36.

> *Simulque cauſſam deſidiæ præſentis excutere, quum pulcherrimæ artes periiſſent.*

Lege-

Legebam, *cur pulch.* Ibid. paullo póſt:

Itaque harcula herbarum omnium ſuccos Democritus expreſſit.

Quid ſi legendum? *Itaque argilla h. o.* id eſt, in teſta ſeu vaſe argillaceo coxit. In qua tamen conjectura valde nuto. Non item in Troiæ Haloſi. Cujus quarto hoc verſu:

Cum Delio præſante cæſi vertices.

Non puto, ſed adfirmo, legendum: *Profante Profari* enim verbum eſt, oraculo Delfico & vatibus ſuum quaſi & proprium. Lucretius lib. 5.

Qua priùs adgredior quàm de re fundere fata.
Sanctius & multo certa ratione magis, quàm
Pythia quæ tripode ex Phœbi lauruque profatur.

Ut & in lepida iſta narratione Eucolpianæ impotentiæ, qua eum, dum cum aurea Circe robuſtam voluptatem nequiquam quæreret, Helleſpontiaci adflixit gravis ira Priapi:

Manifeſtis contumeliis verberata tamdem ad ultionem decurrit, vocatque cubicularios, & me jubet catorogare.

Mira ſunt, ni expulſo iſto verbi monſtro recte emendavi, *catomo dare.* Velut Horatius:

——— *daret ut catenis Fatale monſtrum.*

Sic Plaut.

Cruci dare ſæpiús.

CAPUT XIX.

Adventor pro hoſpite. Obtentu alterius facere. Homines alicuius. Symmachus ordine ter perſanatus.

MONSTROSUM heic 60 epiſtolæ Symmachi lib. 3 principium jam inde à principio ſanabo. Verba ſunt:

Optato Iguntus fideliſſimam obtulit mihi facultatem officii deferendi.

Sed tu lector corrige ſodes ad oram libri tui: *Optatus adventus f. ob. Adventus* nimirum Eugenii de quo ſequitur. Niſi ſi legendum fortaſſis: *Adventor*, id eſt, hoſpes. Plaut. Aſinar. act. 2. ſc. 2.

Quomodo argentum intervortam, & adventorem & ſauream.

De quo vide magni illius Scaligeri Auſonianas lectiones. Et vero millies *r* & *s* in optimo illo M s. Symmacho invicem mutatas reperi, ut, *ſeviſas* pro *reviſas*, *De reptem montibus* pro *de ſeptem montibus*, *Feria regerimus* pro *ferias egerimus*, *Rumpta* pro *ſumpta*. Nullum verò exemplum eſt, quod huic *Adventus* pro *Adventor* conveniat magis, quàm quod ſæpe *Colus* pro *color* in eodem M s. veteri reperitur. Nec incertior eſt loci illius depravatio, quem ſubjungo ex epiſt. 69.

Merito pro honoribus ejus, quæ cauſſa poſcit allego, ſciens tua auctoritate commiſſa, quæ ſub obtentu tuo à quibuſdam ſcævis deſignata dicuntur.

Quis obſecro adeo ſcævus & animi cæcus eſſe poteſt, qui non extemplo ſententiæ abſurditatem perſpiciat. Quare legendum:

ſciens ſine tua auctoritate c. &c.

Ad-

Adverſarii quædam obtentu, id eſt, prætextu Ricomeris, quaſi ejus juſſu fierent, commiſerant. hæc Symmachus ait ſcire ſe ſine Ricomeris juſſu deſignata. Quod verò ſequitur:

Querela autem genus hominis melius ſuggeſtio, ſi juſſeris, proſequetur.

Homines ejus, vocat ejus familiares & procuratores. lib. 3. epiſt. 27. lib. 5. epiſt. 59. l. 9. epiſt. 121. Lege itaque: *hominum ejus ſug.*

CAPUT XX.

Afranii verſus apud Nonium leviter correcti, & cum Lucretio comparati. Poſſent capi, pro caperentur. Aetas pro adoleſcentia.

ELEGANTES ſunt Afranii verſus apud Nonium Marcellum in *Senium*, ubi oſtendit, *Malam ætatem* pro ſenectute dici. In iis rationem reddit Afranius, cur aniculæ amatores invenire nequeant, hoc modo:

Si poſſent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc ſunt venena formoſarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta invenit.

Malum Logicum fuiſſe Afranium ſcilicet. Verſu enim poſtremo ait, ſenectutem nulla habere delinimenta, quibus amatores conciliare poſſint. Unde effici debebat, vetulas amatorib. carere. At verſu primo ait, ſi homines delinimentis in amorem illici poſſent, omnes vetulas amatores habituras. Quod deridiculum & perabſurdum eſt. Quare ut ſenſus conſtet, primo verſu leg.

Ni poſſent homines d. c.

Hoc enim vult: niſi homines delinimentis caperentur, etiam vetulæ amari ſolerent. Nunc autem ſenectus nulla delinimenta habet: (nec enim habet corpus tenerum, morigeros modos &c.) quare nec amatores habent. *Ni homines poſſent capi*, pro, niſi caperentur. Sicut Virgil. 7. Æneid.

——— nil linquere inauſum
Quæ potui infelix. Et 12. Æn.
Quam propter tantos potui perferre labores.

Qua de re videndus Gul. Canterus lib. 2. Novar. lect. cap. 2. Verſu autem tertio *Ætatem* pro adoleſcentia poſuit. Horat.

——— *laſciva decentiùs ætas.*

id eſt, juvenes, quos magis laſcivos eſſe decet, quàm ſenes. Propert. lib. 1. eleg. 7.

Nec tantum ingenio, quantum ſervire dolori
Cogor, & ætatis tempora dura queri.

Queritur, quod ob dominæ ſæviciam non tam liceat ſibi in carminibus ſuis ingenium, quàm dolorem prodere, & de juventutis ſuæ infelicitate conqueri.

Eamdem fere rem iiſdem propè verſibus elegantiſſime expreſſit Lucretius fine libri quarti:

Nec divinitus interdum Venerisque ſagittis
Deteriore fit ut forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum femina factis,
Morigeriſque modis & blando corpori' cultu,
Ut facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam.

FINIS LIBRI SECUNDI.

Viro

Viro Clariſſimo,

CUNRADO RITTERSHUSIO,

JC. Anteceſſori, & Philologo doctiſſimo, Præceptori meo,

S. P. D.

GASP. SCIOPPIUS, FR.

TUum Prodromum illum in novam Symmachi editionem, quem unà cum manuſcriptis tuis ad me miſeras, avide legi, mi Rittershuſi, & quidem libenter. Et dolerem profectò tua cauſſa, tuas illas præclaras conjecturaś, quarum pleræque Ms. Giphaniano confirmantur, typographi cunctationibus adhuc ſuppreſſas lucem tuo nomini invidiſſe: niſi certo quodam Deûm conſilio definitum putarem, ut laborum in eum ſcriptorem noſtrorum conjunctio, de animorum quoque copula omnibus aliquando teſtari debeat. Per me certe ſtabit numquam, quin tua illa in me beneficia paſſim cognoſcantur. O Rittershuſi, Rittershuſi! quàm multa ſumma ſæpe ingenia in occulto latent? ſolorum fere præceptorum an Orbiliorum comitate. Quid me futurum, quid aliis ingeniis me multo prioribus, ſi in ludo iſto, ubi me eductum noſti, vel unum paullo eruditiorem præceptorem habere

habere contigiſſet? Nam præter Joannem illum Ingelſtettterum Noriberhenſem, qui mihi in Rhetoricis fideliter præivit, ceteri minùs mihi, quàm occiſa ſus, ſapere videntur: & de iis, ut qui mea ſtudia impedire, meque vitam aliquando ſilentio tranſire voluerint, ætatem ego conquerar. Eſt ibidem nunc V. Cl. Joannes Ladiſlaus, non Philologus ſolùm eximius, ſed aliarum quoque diſciplinarum cognitione, contrà quàm invidi iſti anſeres clamitant, non vulgari imbutus, communis amicus noſter. Æſtima, Rittershuſi, ſi votum meum Deus adjuviſſet, & talem virum ſtudiis meis ordinandis largitus eſſet, ecquantum me profecturum fuiſſe autumas? Nunc dum omnia mea, ſumma, infima, vulgarem quoque Latinæ Linguæ cognitionem, ærumnabili & imbrobo labore, nullo præeunte, conſequi neceſſe habui, quis adeo ſævus & inhumanus futurus, ut in his conjecturis & emendationibus noſtris, ſi quid juvenile & exactum minùs repererit, noſtrum conatum & boni publici ſtudium damnare potiùs, quàm adoleſcentiæ & pietati meæ factum velit? In quibus tamen ſi quid erit, quod viris doctis probari intellexero, id omne tuæ potiſſimùm operæ deberi profiteor. Parum quaſi fuerit, quòd me convictu, in quo cum Meliore Kochio ſuaviſſime fui, dignari, privatis lectionibus eruditum ire, bibliotheca tua prolixe juvare, viam qua ad ſolidam Juris civilis ſcientiam graſſandum ſit aperire, tum etiam (quod ego beneficium omnium reputo longe maximum) ad illud Juris

aſylum

aſylum & Germaniæ noſtræ ſolem HUB. GIPHANIUM *deducere, eique me de optima notæ commendare voluiſti. Uſurpare heic illud Pacuvii libeat:*

Nunc ſi ita ſunt promerita veſtra, æquiperare ut queam
Vereor, niſi numquam facere fatiſcar, quod quibo, boni.

Quod tibi de me ſeriò confirmo, ejuſque veluti ſyngraphum hunc tertium Veriſimilium meorum ad te mitto, & ad emendationes meas, ſi operæ eſt, aut tanti nugæ hæ videbuntur, animum parumper attendas oro. Juriſconſulto quoque & Poëtæ maximo pariter & ſuaviſſimo Dn. SCIPIONI GENTILI *noſtro ſalutem ſolidam adſcribo. Bene vale, Cl. Rittershuſi, & Scioppium tuum amare & juvare perge.*

GASPARIS SCIOPPII, FRANCI,

VERISIMILIUM LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Symmachus ſæpe emaculatus. Multa virtutum. Omnia rerum.

QUID *eſt ſuavius* (inquit ille apud Plautum) *quàm bene rem gerere bono publico?* Sicut ego nunc duobus libris ſuperioribus feciſſe me exiſtimo, quum tam multa miſere depravata variorum ſcriptorum, maximè Symmachi loca, partim emendavi, partim verò veterum librorum ope auxi & reſtitui. Et meliùs jam Symmacho V. C. eſſe per me incipit. Nec enim tritam quorumdam medendi viam inſiſto, qui non niſi ſectione vel admutilatione poëtis, quos ceteris in Latio magiſtris, qua verborum proprietate, qua orationis cultu & nitore, antiſtare autumant, medicinam facere didicerunt, & integros nonnumquam, non dico verſus, (ferendum hoc & pervincendum fortaſſe fuiſſet malum,) ſed cola, ſed periodos, ex ſua lubidine auctoribus eximunt, ſæpe etiam de ſuo ſiniſtra liberalitate condonant. Quorum rationem ut mihi vehementer diſplicere profiteor, & religionem in caſtigandis ſcriptoribus maximam adhibendam puto: ita quum plurima partim ex ingenio, partim ex ſcriptorum librorum auctoritate emendaſſem & illuſtraſſem, nolui tamen niſi certiſſima,

tiſſima, & in quibus minimum periculi fore præconceperam, chartæ huic illinere, ut libelli mei Veriſimilium nomen quàm facillime tueri poſſent. Et, ſi erunt fortaſſis, quibus faſtidioſa plus æquo opera hæc noſtra videbitur, ut, quorum Tullianas & tenellas auriculas *Symmachus correctus*, *Symmachus emendatus*, *Symmachi epiſtolæ reſtitutæ*, denique Symmachi nomen adeo nobis celebratum lædet: ſciant illi, ita me animum induxiſſe meum; facillime meam me viris eruditiſſimis operam probaturum, ſi, quem peſſime illi depravatum putarent, emendare autem ipſi ob infinitas eaſque deſperatas maculas prudenti conſilio refugerent, ego potiſſimum ſanarem, vel minime certe adfectum in Senatum Senatorem clariſſimum reducerem. Atque hæc pro inſtituti noſtri ratione præfatum eſſe ſufficiat. Nunc ad ipſum Symmachum redeamus. Epiſtola ergo 74. lib. 3. ita vulgo vulgatur:

Multa in te munera virtutum natura congeſſit. quæ ſi quis trutinet penſiore judicio, neſciat utrum in te bona fortitudinis magis an mentis excellant.

Primùm τὸ *Munera* in v. l. abeſt. non invenuſte. Ita enim more ſuo *Multa virtutum* dixit, id eſt, multas virtutes. ſicut Propertius: *Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta.* hoc eſt, non omnes res ſunt omnibus aptæ. Sic, *ſtrata viarum*, *amara curarum*, *abdita rerum.* Sæpiſſime vero Symmachus hac forma utitur, ut, *ſubita rerum*, *proſpera nuntiorum*, *reliqua virtutum*, *dubia rumorum*, & alia, quæ Ritterſhuſius in Prodomo ſuo diligenter conlegit. Deinde legendum eſſe contendo: *magis ac mentis excellant.* Suffragante præſertim M s. codice. Sequitur epiſtolâ eâdem:

Nam quum præ ceteris tibi domeſtica bona curæ ſint, proximum ſibi gradum jure amicorum cura defendit.

Lego

Lego ex v. l. *domeſt. bon. cura ſint, prox. ſibi gaudium jure a. c. d.*

Sub finem epiſtol. 81.

> *Mihi ut non eſt cura quòd à fratre diſcernor, ita ſolatio erit ſi eum ſciam vere in te Symmachum reperiſſe.*

Hæc ita edita ſunt; ſed parvum tamen Symmachi in Flavianum fuiſſe amorem declarant. Cui enim non curæ eſſet, quòd à fratre ſuo diſcerneretur? Omnino deleta negatione legend. *Mihi ut cura eſt.* q. d. doleo quidem, me à Flaviano meo ſejungi, gaudebo tamen ſi talis ipſi amicus futurus es, qualem me ſibi habuit.

Epiſt. 83.

> *Iter, ut opinione metior, expediſti: quod ſolum tibi ad ſilentii veniam ſuffragabitur.*

Lege ex v. c. *Solum tibi ad ſilentium ſuffragabatur.*

Et ead. epiſt. extrema:

> *Quum tibi & facundia, quæ nec antè impediatur, ſuperſit.*

Leve erratum, quod tamen corriges: *quæ nec antè impediebatur*, &c.

CAPUT II.

Lectio in Priapeiis conſtituta. Ut, pro Utinam.

FACETUM & cumprimis elegans eſt in Priapeiis carmen 32, Uvis aridior. In quo ligneam & exſuccam puellam pulchre deſcribit. Hanc libidinis explendæ de nocte ad ſe venire ait Priapus; ceterùm ſe non admodum illa delectari, quippe tam dura atque exſucca, quæque ferrum vel cornu repræſentet.

In

In ultimis verò verſibus quum ſcriptum eſt:

Ductor ferreus inſularis æque
Laternæ videor fricare cornu.

legendum puto: *Duct. f. i. atque Laterna.* q. d. Videor mihi, dum illam ſubagito, ferrum ducere, & videor mihi laternæ cornu fricare. *Laterna cornu*, id eſt, laternam. Plautus Amphitruone *Cornu* vocat. *Volcanum in cornu gerere.* Tertullianus libro de Anima *corneum ſpecular.* Sed hoc leve, præ illo quod eſt carmine 46.

Mantes hic licet ut libenter ires.

Optat Priapus, ut puella iſta turpicula amoliatur, & domuitionem paret denique. Scaliger legit: *Mandes his licet ut libenter ires.* q. d. Si his ſtatoribus qui hortum circare ſolent, mandare vis, ut te ineant, & tum demum abitura es, ſi inquam hoc vis, per me quidem iis te ſubmittas licet. Nam mihi non ſatis virium ſuppetit ad explendam libidinem tuam. Sed phraſis iſthæc, *Licet his mandes ut abires*, nova plane mihi videtur. Alciatus parerg. lib. 7. cap. 15. vulgatam lectionem retinet, & interpretatur: Quamvis tu puella heic exſpectes & maneas, tamen cuperem ut diſcederes. Et hactenus quidem proba eſt ejus interpretatio. Non item, quod ſubjungit: Adverbium *libenter* paſſivam habere ſignificationem, id eſt, me libente & deſiderante. Immo verò, bone Alciate, priſcam & vulgatam illam ſuam ſignificationem retinet. Sed τὸ *Ut* heic pro *Utinam* poſitum eſt. q. d. Licet tu heic maneas, tamen utinam, libenter, & ſponte, non coacta, diſcederes. Sic Catull.

Jupiter, ut ſicelicum omne genus pereat!

Sic enim recte & ingenioſe, ut omnia, locum

 illum

illum reſtituit Scaliger. Giphanius tamen *Genus ſicelicum* Latine dici negat. de quo ille viderit. Horat.

Jupiter, ut pereat poſitum rubigine telum!

Propert. lib. 2. eleg. 1.

His ſaltem ut tenear jam finibus, aut mihi ſi quis
Venerit alter amor, acriùs ut moriar.

CAPUT III.

Præluſiones quæſtoriæ. Advertere pro animadvertere. Ea advertendum eſt, vetus loquendi formula Symmacho reſtituta, cum pluribus in eum caſtigationibus. Plautus ſemel correctus, & verſu auctus.

DELETIS inſignioribus maculis, quæ in tertio epiſtolarum libro Symmachi à Jureto & Lectio viris doctiſſimis relictæ fuerant: age quartum itidem juvemus.

Epiſt. 8.

Etiam ludicris quæſtorum prælationibus negatum.

Neſcio quæ ſint iſtæ quæſtoriæ prælationes, & forte an ſcripſerit Symmachus, *præluſionibus*. Cui epitheton illud *ludicris* optime videtur convenire.

Epiſt. 31.

Quam vellem compenſares adventu veniam ſuperiorem! Sed unum mihi optare tantum, quum fruſtra fuerit ſperaſſe leviora?

Sententia ſententiæ hujus nulla eſt, idque unius dictiunculæ opera. Quare leges: *Sed unde mihi op.* ſenſu plano & aperto.

Et epiſt. 34.

Nata ſuboles primo parentes die hilarant.

In

In Ms. eſt *primus.* lege: *nata ſubolis primus parentes dies hilarat.*

Ibidem:

Etiam ad ea mihi divertendum eſt, quæ fas ſit de tanto viro dicere.

Longe venuſtior & indubie verior v. l. lectio hæc:

Etiam ea mihi advertendum eſt.

Advertere pro obſervare, animadvertere, Ciceroni uſitatum, Varroni, & Terentio Heaut.

Novi ego amantium animum. Advortunt graviter quæ non cenſeas.

Per quoque eſt elegans & vetuſta illa loquendi formula, *Advertendum eſt ea*, pro eo quod hodie tritum, ea advertenda ſunt. Cic. in Caton. major.

Volumus ſane, niſi moleſtum, Cato, tamquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediundum ſit. Ubi vulgo editur: qua nob. q. ingrediendum ſ.

Virgil.

—— *Pacem Trojano ab rege petendum.*

Lucret.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum eſt.

Eamdem & Plauto reſtituendum eſt. Trinum. ſc. *Huic ego*, editum eſt:

Hercle opinor mihi advenienti hac noctu agitandæ ſunt vigiliæ.

Poſtrema inquam verba ita ex Camerarii Manuſcriptis corrigendum eſt: *hac noctu agitandum eſt vigilias.* Ut recte me monuit amicus. Eadem ſcena, non committam, quin verſum à Camerario præteritum,

teritum, & nondum etiam vulgatum, heic proponam:

C. Qua facie eſt homo? S. Seſquipede quidem
eſt quàm tu longior.
C. Noviſtin hominem? S. Ridiculè rogitas.

In Ms. igitur Camerariano hæc interjecta ſunt:

CH. Heret hæc res, ſi quidem ego abſens, ſum,
quia præſens, longior.
Noviſtin hom. ———

Recte Rittershuſius: *quam præſens, longior.* Ceterùm eodem plane modo Amphitruone locutus fuerat:

AM. Vir ego tuus ſim? ne me appella, falſa,
falſo nomine.
SO. Heret hæc res: Siquidem hic jam mulier
factus eſt ex viro.

CAPUT IV.

Propertius explicatus. Intendere pro augere. Lucretii lectio adſerta. Cornel. Nepos & Plautus correcti. Compoſita pro ſimplicibus.

VERSUS hos Propertii qui Eleg. 14. Tu licet abjectus. lib. 1. leguntur, quum paullo obſcuriores ſint, in eorum gratiam, qui poëſi vel poëtarum lectione delectantur, interpretari conabor:

Et modò tam celeres mireris currere lintres,
Et modò tam tardas funibus ire rates,
Et nemus omne ſatas intendat vertice ſilvas,
Urguetur quantis Caucaſus arboribus &c.

Poſterioris ego diſtichi, niſi me fallit animus, hanc eſſe puto ſententiam: Licet omne nemus ſilvas ver-

vertice ita intendat & ſuperne augeat, ut cum altiſſimis Caucaſi arboribus contendere velle videantur, quæ tibi res voluptatem non vulgarem conciliat; meus tamen in Cynthiam ardor longe majori mihi jucunditati eſſe ſolet. *Silvas* pro arboribus poſuit, & *Intendere* pro augere. ſicut Lucretius lib. 6. de fulminis mobilitate:

Fors an & ex ipſo veniens trahat aëre ſecum
Corpora, quæ plagis intendant mobilitatem.

Quia Lucretii facta mentio, comprimere me non poſſum, quin phraſin ejus, ut in v. l. habetur, à Giphanio damnatam, coner adſerere. Secundum laudatum modo à nobis locum, viginti quaſi verſibus interjectis, in deſcriptione Veris, legitur in vett. libris:

Prima caloris enim pars & poſtrema rigoris
Tempus adeſt vernum.

Giphanius corrigit: *Tempus id eſt vernum.* Minus recte, ut opinor. *Adeſſe* dixit Lucretius pro Eſſe. Sicut non longe à principio ejuſdem libri:

Delibata Deûm per te tibi numina ſancta
Sæpe aderunt.

Sic *Adoro* pro Oro. Propert. lib. 1. eleg. 4.

——— maneat ſic ſemper, adoro.

Virgil. 10. Æneid.

——— Vos ô potiùs miſereſcite, venti.
In rupes, in ſaxa, (volens vos Turnus adoro,)
Ferte ratem.

Et Ovidius:

Hanc ego, me non ut defendere tentet, adoro.

Sic Juvenal.

——— Libertas pauperis hæc eſt :
Pulſatus tacet, & pugnis conciſus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Sic *Adſtare* pro ſtare. Ut arbor illa in Priapeiis,

Auctumnis ſterilis duobus adſtans.

Quod ego verbum Nepoti in Epaminundæ vita reſtituendum cenſeo. Quando enim vulgo legitur :

Itaque exercebatur plurimùm currendo & luctando ad eum finem, quòd ſtans complecti poſſet atque contendere.

Nugæ verborum, *ad eum finem quòd poſſet.* Vetuſtiores editiones, pro *quòd*, habent *quoad.* Bona lectio diſpreta voce : *quo adſtans*, id eſt, ſtans. Jacentes enim & ſtantes luctari ſolebant. Vide quæ hac de re ſcribit magnus ille & vere inluſtris vir Pet. Faber cap. 10. primi Agoniſtic. & Clariſſ. Mercurialis de Arte gymnaſtic. lib. 2. cap. 8. Et hæc ita olim à me ſcripta membranis poſtea veteribus confirmari vidi. Idem Nepos, Datame, *Adcredere* dixit, pro Credere, de quo infrà c. 12. Plauto quoque idem verbi reſtituendum putem Aulul. ſc. 1.

Iſtic adſtato, ſi hercle tu ex iſtoc loco
Digitum tranſverſum aut unguem latum exceſſeris.

Nam in v. l. eſt *ataſto.* vulgo *adeſto.* Ceterùm velut ſimplices pro jugatis & compoſitis dictionibus à Propertio frequenter uſurpatas quidam adverterunt, ſic ego viciſſim compoſita pro ſimplicibus multoties apud illum obſervavi. Ut hac ipſa 14. eleg.

Quæ mihi dum placata aderit.

Et eleg. 2. lib. 1.

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis.

Et

Et lib. 2. eleg. 10. *Revocare* pro *Vocare.*

Sed fruſtra mutos revocabis Cynthia manes.

Notum enim, quid ſit *Vocare manes.* Sic Catull. *retinere* pro tenere.

Diva, quibus retinens in ſummis urbibus arces.

CAPUT V.

Trium locorum Symmachi correctio.

VIx mihi perſuaderi poteſt, ut credam, plures vel æque multas mendas literarum, & verborum quoque integrorum, ſimilitudine & vicinitate in alios auctores ac in Symmachum inrepſiſſe. quales ſunt, *fuerunt* pro *ferunt*, *nullius* pro *nullus*, *lucio* pro *ludo*, *bonam* pro *novam*, *bonis* pro *nobis*, *ſcientes* pro *date*, *quia* pro *quid*, *tam cito* pro *tacito*, *adeo* pro *ideo*, *quod ut quiſque* pro *quotus quiſque*, *utſi* pro *urſi*, *ſemorum* pro *xeniorum*, & ſexcenta tanta, quæ recenſere nimis putidum foret. Heic unum tantum proponam. *Nunc* pro *nec*, *Non* pro *nunc*, ſæpiſſime à librariis ſcriptitatum. Tale eſt illud epiſtol. 37. lib. 4.

Nunc tamen pœnitet, longùm ſtetiſſe. Tuo enim judicio reſervatus eſt, ſub quo emergere maximum moræ pretium eſt.

Vult dicere Symmachus, Paullo non eſſe pœnitendum, quòd ad altiora nondum provectus fuerit, cum Minervii judicio reſervatus ſit. Unde nemo non videt, recte à me emendari & legi: *Nec tamen pœnitet.* Similem maculam inferiùs ex lib. 7. eluam. Jam in 4. pergamus. Cujus epiſt. 55. Florentino diuturni quidem ſilentii veniam ſe dare promittit: illius tamen culpæ non item, quòd de Minervii nuptiis nihil ad ſe perſcripſiſſet. Verba ſunt:

Debet certe prompta eſſe inter nos mora mutua venia. Non eadem tamen facilitate purgabo, quòd filii noſtri Minervii nuptias aliorum potiùs relatu, quàm literis tuis comperi.

Non dubia eſt emendatio, pro *Purgabo* legendum *Purgabis*, ut & in v. c. vidi. Epiſtolæ quoque 48 principium mantiſſæ vicem leviter correctum adjiciam:

Literas nonnullis humanitate præſtamus,
Has autem Baſſo juſto amore detulimus.

Vulgo, *nonnulla humanitate*. Quod nihili eſt.

CAPUT VI.

Fungi pro Pati recte à Giphanio acceptum fuiſſe; multis exemplis contra Rob. Titium demonſtratum.

EDICO tibi, Roberte Titi, ne, quod tibi eſt vitii, aliis ineſſe autumes, neu, dum alios perperam inſanire prædicas, ipſe inſanias, iſtamque quam in ceteris damnas licentiam in pervertendis auctoribus aliquando dediſcas. Quid enim animi tibi fuiſſe dicam neſcio, quum libro Locor. controv. 2. cap. 3. pro verbo *Fungi* apud Lucretium *Pungi*, vel, ſi dIs placet, *Fingi* nobis expatraſti, & Giphanium, *Fungi* pro *Pati* interpretantem, adeo mimice & verniliter irrides, ut atrum pro candido, noctem pro die illum accepiſſe ſcribas. In qua ſtulticia tua refutanda ne ſim longior, te, ſi fas eſt, rogatum velim, ut hos Lucretii verſus diligenter mecum conſideres. Libro primo, oſtendens, unumquodque, quod eſt in numero ſeu rerum natura, aut agere aliquid aut pati, aut ejuſmodi eſſe, ut in eo aliud agere, aliud pati poſſit, ſic loquitur:

Præ-

Præterea per ſe quodcumque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debebit agentibus ipſum,
Aut erit, ut poſſint in eo res eſſe gerique.
At facere & fungi ſine corpore nulla poteſt res.

Et lib. 3, probans,animam eſſe corpoream,eo quòd unà cum corpore patiatur & doleat:

Præterea pariter fungi cum corpore, & unà
Conſentire animum nobis in corpore cernis.
Et: Quippe etenim mortale æterno jungere, & unà
Conſentire putare & fungi mutua poſſe.

Profectò, Titi, niſi doctis ludibrium debes, ſuadeo, ut *punctiones* & *fictiones* tuas procul amoliaris. Sed ſi os tibi plane ferreum, adhuc fuiſſe non valde indignabor. Sed, ò Titi, nimis male metuo, miſer, ut fronte quantumvis ferrea poſſis ſubſiſtere, ubi hunc ejuſdem libri tertii locum adduxero, quo animum multa mala corporis contagione pati hoc modo proloquitur:

Et mala multa animus contagi fungitur ejus.

CAPUT VII.

Auſpicium facere, præſtare, capere. Symmachus emendatus.

Frequens uſus oſtendit, & clara animi tui monumenta teſtantur, exempla veræ amicitiæ de te eſſe capienda.

SIC editum eſt in epiſt. 73, initio lib. 4, apud Symmachum. Sed in v. l. legi, *anim. t. documenta*. Atque ita multa(non dico omnia;quia guſtum tantùm doctis præbeo operæ meæ, quam in Symmacho, cujus à me ſuo tempore editio adornabitur, adhibui) ex 4 libro σφάλματα,

librariorum indiligentiæ adjudicanda, exſtirpavimus. Nunc leve quoddam, cenſione tamen & correctione noſtra haudquaquam indignum, ex 14 libri 5 epiſtola proponam:

Jamdudum tibi ſtylus meus facit hoſpitium; cui non abnuo redditam vicem, ſed æmulari ſtudium noſtrum voluntario poſtea officio debuiſti.

Miror, hunc locum cetera non infeliciter à Lectio tentatum perſanari tamen non potuiſſe. Cuivis enim mediocriter in Symmachi lectione verſato proclive fuerat, mendum tollere, & pro *hoſpitium*, *auſpicium* ſubrogare. Sic enim alibi:

Inveterati moris eſt, ut qui ad peregrina diſcedit, alternandis epiſtolis præſtet auſpicium.

Et alibi: *Pleriſque perſuaſum eſt, auſpicium ſalutationis profectis eſſe capiendum.* Finem quoque epiſt. 74 leviter corrigam, qui ita à Jureto repræſentatus:

Spero enim fore, ut ceſſantibus novis expenſionibus, utriuſque operis perfectioni uſurpatorum ſumma proficiat.

Aitque Juretus eruditiſſ., in ſuo v. c. legi, *Perficiat.* Sed certiſſima eſt libri noſtri lectio, *Sufficiat:* quam poſthac dimota cunctatione in contextum velim audacter referri.

CAPUT VIII.

Attici vita apud Nepotem ſæpiùs correcta & aucta. Movit ex urbe. D & L literarum inter ſe commutatio. Fruterii pro Giphanio carmen.

EX Attici vita à Cornelio Nepote deſcripta mendas aliquot hoc capite ejicere eſt benignitas, ſi cui modò doctiorum ad legendum hæc noſtra

noſtra eſt comitas. Pagina Ingelſtadianæ editionis 125.

Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam L. Cotta & L. Torquato Coſſ. quem diem ſic univerſa civitas Athenienſium proſecuta eſt, ut &c.

Miror unde illud *quem diem* in libros irrepſerit. Nihil enim de die, ſicut de ipſo Attico, præceſſerat. Quare paullula mutatione lubens legerim: *quem quidem ſic &c.* Nec placet quòd Fulvius Urſinus cum Antonio ſuo Auguſtino vocem illam diem delet. Multo minùs, quòd nimis audaci mutatione *abeuntem* pro *diem* ſubſtituit. Paullo póſt:

Eaſque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiſcipulatu vivebat conjunctiſſime.

Vetus meus: *à condiſciplina.* Et infrà pag. 126. de bello Cæſariano:

Uſus eſt ætatis vacatione, neque ſe quoquam movit ex urbe.

Meliùs omnino, niſi valde fallor, manuſcriptus: *neque quoquam movit ex urbe.* Quæ phraſis ut elegans, ita protrita in vulgus non eſt. Plurima ejus exempla omnium acutiſſimus Janus Mellerus Palmerius in Spicilegiis ſuis diligenter collegit. Ad ea lectorem remitto. Unum tamen & alterum quid vetat ſubjungere? Symmachus epiſtola, ſuprà lib. 1. cap. 5. à nobis vulgata: *Nam poſtquam terra movit, nihil pæne illis reliqui factum eſt.* Terent Eunuch. *Move verò ociùs, mea nutrix.* S. *Moveo.* Id eſt, Amove te. Salluſt. Jugur.

Mortis metu mutabant, ſicut regi libuerat.

pro mutabantur. Sequitur apud Nepotem:

Ipſum Pompeium conjunctum non offendit. Nullum enim

enim ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores aut divitias ceperant. Quorum partim invitiſſimi caſtra ſunt ſecuti, partim ſumma cum ejus offenſione domi remanſerunt.

Videndum monet Urſinus, num melius ſit *Conniventem* pro *Conjunctum*. Ego, qui vidi, nego, hoc Urſinianum illo altero melius, immo nihili, immo, ne quid mentiar, neutrum alicui rei eſſe pertendo, modò ſenſui conſulere velis. Quare ne aliis exagitandis diutiùs immorer, paullula mutatione legendum cenſeo:

Ipſum Pompeium non junctus non offendit.

Id eſt, quod Pompeiio ſe non adjunxiſſet, nec caſtra ejus ſecutus eſſet, eo Pompeium non offendit. Nullum enim tale ab eo beneficium acceperat, ut ejus recordatione illi ſe adjungere cogeretur. Atque ita Sim. Boſium ediditſe his ita à me ſcriptis monſtravit mihi Ritterhuſius meus. Qui etiam alterius mendi ſuſpectum habet eundem locum. Ac pro ornamentum, rectiùs legi putat, autoramentum. Atticus (inquit Nepos) nullum à Pompeio habebat autoramentum: id eſt, non erat ei obnoxius aut obligatus alicujus nexu beneficii. Quæ conjectura mihi non aſpernanda, immo veriſſima videtur. Sic merces autoramentum ſervitutis dicitur apud Cicer. 1. de Offic. Et Seneca in Epiſt. Nullum ſine autoramento malum eſſe ait: id eſt, quod non ſibi hominem devinciat aliquo præmio aut blandimento.

Eadem pagina ſub finem:

Secutum eſt illud occiſo Cæſare, quum reſpub. penes Brutos videretur eſſe.

Vetus liber dictione auctior: *Secut. eſt illud tempus occ.*

Pagina

Pagina 129.

Se eum & Gellium Canium de proſcriptorum numero exemiſſe.

Membranæ rurſus auctiores : *Se eum & ejus cauſſa Gell. Can.*

Pagina 132.

Omni diligentia mundiciem non affluentem adfectabat.

M s. *mundiciam, non affluentiam, adfectabat.*

Et pag. 133.

Ex quo judicari poterat, non inertia, ſed judicio, fugiſſe rei publicæ procurationem.

Manuſcriptus rurſum auctior : *Judicio fugiſſe divinæ rei p. proc.*

Fere ſub finem :

Quum quidem Agrippa eum flens atque oſculans oraret atque obſecraret ne &c.

Apage hinc oſcula. Non enim ægro, cuique mori certum eſt, competunt. Sanior vetus codex :

flens atque obſecrans oraret ne.

Nec diſſimulabo, (quod non longe à principio pag. 123 vulgo legitur :

Itaque aliquot ipſi & Piliæ locis ſanctiſſimis [ſtatuas] poſuerunt.)

recte ab Urſino emendatum mihi videri. Quum enim in ſuo codice reperiſſet *Phidiæ*, bona conjectura *Filiæ* legendum putavit, quod & noſtro libro confirmatur, quamvis in eo *Fidiæ* ſcriptum. Nota eſt autem iſta literarum *d* & *l* permutatio. Sicut *Medicus* pro *Melicus*, *Dingua* pro *Lingua*. De quo videndus doctiſſimi Giphanii noſtri index Lucre-

Lucretianus in *Dedicare.* quod verbum Lambinus temere damnare, & illud *Deliquare* ſubſtituere auſus eſt; quàm feliciter, age videamus ex hoc doctiſſimo Lucæ Fruterii carmine, Pariſiis olim contra Lambinum publice propoſito: Anno 1565.

Dedicat in Caro eſt. Quid ni? Marullus at iſte
  Peteret in NonI *deliquat* eſſe libris.
Delicat in NonI tabulis pro *Dedicat* audis.
  Sic *Melicas* Latio *Media* paſcis aves.
Dedicat antiquis, noſtris eſt indicat; atque
  Indicat his ipſis ſurgit originibus.
Dicere jus Latium eſt, Jus eſtque dicare Latinum.
  Quod Latium eſt, vetus eſt: quod vetus eſt,
    Latium eſt.
Qui locus eſt Veneri dictus ſacer, ille dicatus,
  Deque dicatus is eſt omniparæ Veneri.
Sic ſic eſſe liquet, nil *Deliquat* eſſe Latinis,
  Et genium Lambini huic generi eſſe patrem.
Poſtume,quid tibi nunc meritis pro talibus optem?
  Deliquat ut poſthac poſſit acere tibi:
Dedicat & poſſit veterum de more placere.
  O miſerum adſtricti Conſulis arbitrium!
Qui velit his oculos perſtringere commodus, addat,
  Mi ſatis eſt unum *Dedicat* adſerere.
At tibi de ſcriptis Cari tam rara merenti,
  O decus, o patriæ ſpes generoſa tuæ,
GIPHANI, reddunt grates quaſcumque mereris
  Caſtaliæ Phœbo cum patre Pierides.
Et tibi ſit Gallæ convicia temnere linguæ.
  Certum enim, pro te Teutonis ora loquî.

N B. Lambinum vocat Marullum & Poſtumum, quòd quaſi alter & redivivus Marullus Lucretium depravarit.

CAPUT IX.

Symmachus emaculatus & auctus.

SUMMAM librariorum, qui Symmachum deſcripſerunt, oſcitantiam fuiſſe oportere cenſeo. Ut vel ex eo conjicere poſſis, quòd tam multas nobis curtas epiſtolas reliquerunt, & fines earum tam frequenter omiſerunt. Quos ego, (quoad ejus Ms. noſtri vetuſtiſſimi, qui paullo diligentiorem librarium nactus fuerat, ope fieri potuit,) ad Symmachi manes & doctorum animos tantiſper mihi demerendos, donec editionem ejus pleniſſimam dedero, nonnumquam his meis Verıſimilibus interſerere cogitavi. Libro 5. epiſt. 84. ita in vulgatis legitur:

> *Nam ſi quid horum, quæ apud te incurioſiùs loquor, cuipiam lectori nauſeam moverit, non in ſcribendo diligentia diſplicebit.*

Hæc in v. c. paullo aliter & auctiora quoque viſuntur: *non in ſcribendo neglegentiam ea quàm tua in deſcribendo diligentia diſplicebit. Vale.* Corrigo: *non tam in ſcrib. neglegentia mea, quàm* &c. Eadem epiſtolæ 92 forruna fuit. Sic enim finis ejus vulgo conceptus eſt:

> *Supereſt, ut propoſito religionis tui melior adſpiret eventus, & tibi in poſterum labori reſpondeat.*

Supple ex v. c. *tibi in poſt. competens decus pro tanto in patriam labore reſpondeat. Vale.* Finis ſimiliter hujus libri quinti, ita editus eſt:

> *Tantùm peto, ut ab eo interpreteris ex hac commemoratione, quam mihi tribuit, quantum ex ejus præſentia voluptatis habuiſſes.*

In Ms. poſt *Interpreteris* legitur *Impendi.* Quare non

non dubito ad hanc faciem loci illius lectionem conſtituere:

Tant. peto ut ab eo inter. impendi ex hac commoratione [ſive comitatione] *quam m. tr. &c.*

Peto ut permittas, Florentium me comitari, & putes, mihi ex iſta commoratione (dum mecum commorabitur) tantum voluptatis impendi, quantum tibi, ſi tecum manſiſſet, impenſurus fuerat.

CAPUT X.

Propertii locus declaratus; ejuſdem duo alii correcti. Hac figura, id eſt, hoc modo. Quàm pro antequam. Priùs antequam.

PROPERTIO caput hoc à nobis dabitur. Neque id immerito. Nullus enim fere eſt de ſcriptoribus, in quo exornando æque bene laborari putent. Ita ſuavis eſt & elegans, ut quemvis ad ſui lectionem adliciat; ita rurſus difficilis, ut non unum, nec uno in loco, interpretem requirat. Difficilis, inquam, ut mihi, aliiſque paullo humanioribus, videtur: qui alios, quibus ille modò non facillimus perperam exiſtimatur, docere poſſumus. Sunt enim multi, non homines, ſed ludimagiſtri, eorumque alii in Academiis paſſim ſimiles, qui ubi verba à ſe intellegi ſingula exiſtimant, rem jam factam habere falſò ſibi perſuadent, ſeque illos eruditos eſſe, qui quæ nos Critici multo labore inveſtigamus, nullo negotio aliis interpretari poſſint. Lepidi profectò homines! non ſemel tamen magna cum voluptate à me deluſi. Quippe quos ita tumere intellegebam, eos non commodiùs, quàm leviſſimorum quorumque locorum explicatione, refutare & inſcitiæ coarguere poteram. Quale eſt illud, quod ex eleg. 17. Hoc erat inprimis.

mis. lib. 2, cuidam illorum de grege aſello, me proponere memini:

Nil ego non patiar. numquam me injuria mutat.
Ferre ego formoſam nullum onus eſſe puto.
Credo ego, non paucos iſta periiſſe figura;
Credo ego, ſed multos non habuiſſe fidem.

Mirabatur primùm, quæ me hominem intemperiæ tenerent de loco adeo non difficili ambigentem. Sed idem, quum paullo acriùs inſtarem, verſumque tertium non ſatis à me intellegi perſeverarem, conticebat; demum, ſibi quoque non liquere, pronunciabat. Dicebam autem illi doctori meo, duplici modo verba illa accipi poſſe. Ut vel hoc videatur dicere: Credo ego, multos ad hunc modum, id eſt, tam conſtanter, quaſi ego te amo, amaſſe; ſed rurſus credo, multos etiam inconſtantes fuiſſe. Vel illud: Credo, multos quidem talem figuram & pulchritudinem, quali tu prædita es, amaſſe, ſed non omnes certos & conſtantes fuiſſe. Ut, *Hac figura*, vel pro *hoc modo*, vel *hac pulchritudine*, accipiamus. Poſterius frequens eſt apud Propertium; illud non item. Dictumque videtur, ſicut illud Plauti: *Ad hanc faciem*, id eſt, talis. *Perire* autem, ut ſæpe, & heic eſt amare.

Eadem eleg. ſequitur:

An quiſquam in mediis perſolvit vota procellis,
Quum ſæpe in portu fracta carina natet?
Aut priùs infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quàm metam triverit antè rota?

Verſu ſecundo pro *Quum* legendum putabam *Quàm*, id eſt, antequam. q. d. Noli te amoris tui venuſtate jactare, quum nondum ad finem amoris pervæneris. Nemo enim in mari dIs marinis pro ſe ſervato gratias perſolvit, antequam ratem in portum

ſecuritatemque deduxerit. Non ignoro, quæ pro recepta lectione dici queant: ſuum tamen cuique pulchrum. *Quàm* pro Antequam ἀρχαϊκῶς. Plautus Amphitruone:

> Gravidam ego illam heic reliqui, quàm abeo.

Sic enim ibi ex v. l. Gulielmius. Idem Trinum.

> ———— conſit cito,
> Quàm ſi tu obicias formicis papaverem.

Et Titin. apud Nonium ex emendatione Palmerii:

> Quum procul adſpexit, imbitere volat,
> Revortit, quàm catapulta volat.

Id eſt, citius quàm.

Et Senec. *Hic fortaſſe cito quàm deberet occiſus eſt.* Sic enim inibi legit Joſias Mercerus. In ſequentibus apud Propertium obſerva, *Priùs depoſcit antequam* &c. Sic Virgil. 4. Æneid.

> Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat,
> Antè, pudor, quàm te violem.

Niſi ſi heic apud Propertium *Arte* pro *Ante* legendum ſit. Arte enim in ludis curulibus vel maxime opus fuiſſe, quis eſt, qui ignoret? Et docet illud filium ſuum Neſtor Iliad. ψ.

> Μῆτι δ' ἡνίοχος περιγίγνεται ἡνιόχοιο;
> Arte etiam aurigas aurigæ vincere ſuerunt.

CAPUT XI.

Alia in Symmachum.

SPINAS quæ in ſexto Symmachi libro poſt doctiſſimi Lectii diligentiam relictæ nobis fuerunt, poſtmodum runcare volumus. Epiſt. 7.

Nam

Digitized by Google

Nam & fractam meam valetudinem noſtis, & unici mei ſolitudinem & eruptionem fluminum uſque ad metum diluvii comperiſtis.

Corrige ſodes: *Et unici mei ſolitudinem contemplamini, & eruptiones flumin.*

Epiſt. 23.

Ipſam quoque dominam quæſtionis, quum ſe ab agro receperit, admonebo.

Lege ex v. l. *Ipſum quoque dominum q.* Mox:

Patria verò noſtra inter cetera frumentaria penuria mala legationis ambitus nequiorem facere ſubdidit.

Dejerare auſim, non potuiſſe tam illuſtre mendum à Lectio non adverti, & operarum indiligentiæ imputandum. Proclive enim eſt corrigere: *nequiorem facem ſubdidit.* Nunc dictionem Symmacho epiſt. 30 liberali cauſſa redônabo, ſine qua mancus & mutilus erit:

Cui tantus, inquit, terror incuſſus eſt ob amiſſam diu ad Gallias profectionem, ut ei neceſſe fuerit itinere privato exhibitionis injuriam.

Adde ex v. l. verbum *præveniri*, & ſententiam egregie compleveris.

CAPUT XII.

Cornel. Nepos vitâ Datamis correctus. Adcredere pro Credere.

IN Datame apud Nepotem non longe à principio legimus:

Namque hic multis millibus hoſtium & regiorum interfectis, magni fuit ejus opera.

Impendio meliùs duo libri vett. *Multis mil. regiorum interf.* Pagina ferme interjecta ſequitur:

> *Quem quum omnes proſpicerent propter novitatem ornatûs, ob eamque rem magnus eſſet concurſus: fuit nemo qui agnoſceret Thyum, qui non regi nunciaret, Ac primò non credidit &c.*

Veram lectionem in membranis reperiſſe me confido talem:

> *Fuit nemo qui agn. Th., regique nuntiaret. Primò non accredidit.*

Poſtremum verbum alter quoque inferioris vetuſtatis liber adgnoſcit. Et Lucretius uſurpat lib. 3. pro Credere, ac ſæpiſſime Plautus: de quo ſuprà cap. 4. hoc libro. Non ita multo póſt:

> *Exiſtimans, faciliùs ſe imprudentem & imparatum parva manu oppreſſurum, quàm paratum quamvis magno exercitu.*

Abſunt à mſſ. libris illa duo, *& imparatum*, haud paullo venuſtiore lectione. Et infrà:

> *Senſit, ſi in turbam exiſſet ab homine tam neceſſario, ſe eſſe relictum, futurum ut ceteri conſilium ſequerentur, in &c.*

Conjiciebam olim: *ſeſe relictum futurum, ut* &c. Et hoc fere in M s. reperi poſtea: *ſe relict. futurum, ut* &c. Mox:

> *Sed elegit corporis ſtatura ſimilem ſui.*

M s s. *corpore & ſtatura.* At hæc non multum tamen inter ſe diſcrepant, præ illis quæ ponam:

> *Hanc (dextram) ut accepit, ſimulat ſe ſuſcepiſſe cum rege inimicitias, copias parat, & abſens amiciciam cum Datame facit.*

Manu-

Manuſcripti paullo aliter : *Hanc ut accepit à rege miſſam, copias parat, & abſens* &c. Extrema fere vita miror mendum adhuc reſidere potuiſſe. Nullo enim ſenſu etiam in veteribus quibuſdam legitur :

> *Ac Datame venienti ait digrediendum : ſe animadvertiſſe, locum quemdam, qui erat in conſpectu, ad caſtra ponenda eſſe idoneum.*

Nemo non videt, optime à me corrigi : *ait, digredientem ſe animadvertiſſe.* Jam enim antè digreſſi erant, & iterum nunc coibant.

CAPUT XIII.

Abſque hoc eſſet. Si, particula eleganter omiſſa. Symmachus correctus.

LIBRO ſexto Symmachi epiſt. 52 :

> *Sed ſi ſcriptorum vices frequens uſus exerceat, ſatiemur inter nos præſentiæ voluptatem.*

Juretus conjicit legendum, *ſarciemur*, vel *ſortiemur*. Certum eſt legi debere, *ſarciemus*. q. d. Compenſabimus & reſarcire ſtudebimus quod in illo deerat. Nunc erratum haud ferendum ex 54. epiſt. ejiciam. Siquidem, quando legitur :

> *Ab hoc percunctanda direxi, atque ideo fugienda eſt mihi prolixæ epiſtolæ gratia.*

corrigendum eſt : *Ab hoc percu. diſcetis : atque* &c. Sequitur eadem epiſt.

> *Abſque adventûs veſtri petitione, quam frequenter exambio, & deſiderium veſtri ſineret, jam ſilere deberem.*

Ms. *etſi deſider.* Mihi certum eſt, in prioribus aliquid deſiderari, & fere hoc modo legendum :

Abſque a. v. p., quam fr. exambio, foret, etſi deſ. v. ſ. Hoc enim vult: Quæ nequiquam petimus, verecundos nos facere ſolent. Quare quum videam, me fruſtra à vobis petere, ut ad nos veniatis, debebam ſilere. Sed veſtri deſiderium hoc non admittit. Et in ceteris quidem petitionibus repulſa me verecundum facere poſſet, ſed quia ſaltem peto adventum veſtrum, verecundia nullum apud me locum habere poteſt. Eleganter autem omiſſa eſt particula *Si*. *Abſque petitione foret*, id eſt, ſi abſque petitione foret. Sic Terent. Phorm.

Nam abſque re eſſet, recte ego vidiſſem mihi.

Plaut. Menæch.

Nam abſque te eſſet, hodie numquam ad ſolem occaſum viverem. Et Captiv. *Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palàm, Uſque offranatum ſuis me ductarent dolis.* Sed alias quoque eleganter omitti ſolet. Catull. *Utor tam bene quam mihi pararim.* pro, quam ſi mihi. Terent. *Nam numquam ſecus habui illam, ac ex me eſſet nata.* Plura vide apud acutiſſ. Palmerium.

CAPUT XIV.

Varia & Lentus *ſignificatio expoſita. Lentus debitor. Sedere, Ire, Venire, Redire, pro Eſſe. A Rob. Titii calumnia Muretus & Turnebus liberati.*

ROBERTUS TITIUS libro locor. contr. 1. cap. 20 Turnebum & Muretum reprehendit, quòd Lentum debitorem aliter à Cicerone, aliter item à Lucillio dictum putaverint. Sed illud quàm feliciter reprehendat, mox videbimus. Vocat ergò Cicero Lentum nomen, immo, ut cum Titio loquar, Lentum debitorem, non promptum ad ſolvendum debitum, ſed tardum. Sicut fere Propert.lib.2.eleg.2:

Olim

Olim mirabar, quòd tanti ad Pergama belli
Europæ atque Aſiæ cauſſa puella fuit.
Nunc, Pari, tu ſapiens, & tu Menelaë fuiſti.
Tu quia poſcebas: tu quia lentus eras.

Paris erat *lentus*, id eſt, tardus in reddenda Helena. Lucillius contrà, eum, qui facilè quod debet ſolvit. Verſus ejus apud Nonium in *Tricones* & *Lentus* hi ſunt:

Luciu' Cotta ſenex, Craſſi pater huiu' Panætl,
Magnus trico fuit nummariu', ſolvere nulli
Lentus.

Adjicit Nonius, id eſt, *facilis*. Ubi nemo non videt, Nonium *τὸ Lentus* ſolum, non conjunctum *nulli lentus ſolvere*, per *facilis* interpretari. Ait enim, Cottam durum fuiſſe & parcum, nec facilem ulli ſolvere. Miror quid animi fuerit Titio, quum ſcriberet, *Lentus nulli ſolvere*, idem eſſe, quod minime tardus ad ſolvendum, quaſi Cotta facilè ſolverit. Quod tamen ineptiſſimum eſt, & à cetero ſenſu abhorret. Quomodo, quæſo, mi Titi, facilè ſolvit, qui trico eſt nummarius, hoc eſt, ut idem Nonius interpretatur, ad reddendum durus. Quare per me quidem tuam tibi mutare & in Turnebi ac Mureti ſententiam licet diſcedere. Quum enim *Lentus* non ſolùm facilem, & qui quo velis non ægre ducitur, ſed & tardum pigrumque ſignificet, non male à Cicerone & Lucillio diverſimodis uſurpatur. Sed quando nemo tam ſtupide ſtupidus, quin rem jam omnem penitus cognoſcat, addam capitis explendi novam verbi hujus ſignificationem. Utitur Propertius modò pro eo, qui tarde & difficulter iraſcitur, lib. 3. eleg. Dulcis ad. 6. ubi quum iram feminarum amoris notam dixiſſet, ſubjicit:

Non eſt certa fides quàm non injuria verſat.
Hoſtibus eveniat lenta puella meis.

Sibi puellam optat nonnumquam furibundam: Quum ſine amore iraſcatur femina nulla gravi. Modo *Lentum* vocat idem Umber, qui nullis querelis frangi poteſt, id eſt, durum & immitem, cuique æs triplex circa pectus. Ab eo ſenſu, quòd quæ lenta ſunt, ut vimen &c. flecti quidem, ſed frangi ægre queunt. Lib. 1. eleg. Non ego. 6.

Illa meam mihi jam ſed denegat, illa minatur,
  Quæ ſolet irato triſtis amica viro.
His ego non horam poſſum durare querelis.
  Ah pereat, ſi quis lentus amare poteſt.

Id eſt, ſi quis adeo lentus & durus eſt, ut iſtis querelis non frangatur. Et eleg. Non ita. 11. lib. 2.

Nec mihi jam faſtus opponere quærit iniquos,
  Nec mihi ploranti lenta ſedere poteſt.

ut ſcilicet lacrimis & precibus meis non frangatur. Eodem autem verſu *Sedere* pro *Eſſe* uſurpat, ut & eodem lib. 2. eleg. Prætor ab. 13.

Nec nimis ornata fronte ſedere velis.

Alius forte dixiſſet, *Eſſe ornata fronte.* Cujus rei inſolentiam non eſt quòd miretur quiſpiam, quum eodem ſignificatu, *Ire*, *Venire* & *Redire*, apud eumdem non ſemel legamus. Lib. 2. eleg. 3:

Sæpe roges aliquid, ſæpe repulſus eas.

Eleg. 6.

Non mihi ſat magnus Caſtoris iret equus.

Similis apud Senecam locus Hercule Oeteo, actu 2.

——— non ut æquetur Jovi,
Non ut per urbes magnus Argolicas eat.

Rurſum Propertius fronte libri tertii:

Exactus tenui pumice verſus eat.

Idem

Idem lib. 2. eleg. 2.

Poſt Helenam hæc terris forma ſecunda redit.

Et eleg. 5. extrema lib. 1.

——— non impune illa rogata venit.

Eleg. 10.

Irritata venit quando contemnitur illa.

Et ſeq.

Seu triſtis veniam, ſeu contrà latus amicis.

Et eleg. Sæpe ego. 15. eod. lib. 1.

Tu tamen in noſtro lenta timore venis.

Eleg. Hæc certe. 18.

Non ita ſæva tamen vænerit ira mea.

Et extremo libro ſecundo de carminibus ſuis:

Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, ſive peritus erit.

Et alia nimio plura, ut immorari pigeat.

CAPUT XV.

Symmachus auctior & nitidior redditus.

QUÆ in Symmacho lib. 6. inluſtriores adhuc maculæ remanſerunt, jam tollere lubido eſt. Epiſtola 64. ait, ſe in horas locum mutare, nec diu certa ſede demorari poſſe.

Teſtimonio eſt, inquit, hæc epiſtola; quam è Vaticano noſtro, ſi nihil diſpoſita turbaverit, alia conſequetur.

Supple, ſupple: *Epiſt. ſub urbano agro nuper emiſſa; quam de Corano noſtro ſi nihil.* Vides, inquit, hanc

hanc epiſtolam modò ſuburbano meo emiſi. ſtatim alia ſequetur, quam in Coranum jam abiturus ad te dabo, unde migrationes meas arguere potes.

Epiſt. 65.

Ut fluor oculorum tuorum cum cetero onere diſcederet.

In MS. *fervor oculorum.*

Sequitur:

Scire poſtulo, an prædicta curatio efficax fuerit, nec ne: an ſubegerit cauſſa etiam ſanguinis emiſſione venas juvari.

Bona me etiam Rob. Titii pace correcturum puto: *efficax fuerit, nec ſubegerit cauſſa, etiam* &c. Quæ certe lectio & venuſtior eſt, & v. l. quoque confirmatur. Unum addam ex epiſt. 71:

Nam domi corruptorum parietum diſſidia ſarciuntur. Quia frequentationem ſoliditati conditor primus antetulit.

Bona emendatio: *quia feſtinationem ſoliditati.* Sequitur enim: *Et antiquior ei viſa eſt celeritas utendi, quàm ſecuritas ſuccedentium.*

CAPUT XVI.

Propertii locus perobſcurus aliter, quàm à Turnebo, inluſtratus. Excutere ſeu movere lumbos. Fluctuare.

PROPERTIUS eleg. Prætor ab. 13. lib. 2. acerbe conqueritur, quòd Cynthia hominem turpem & barbarum, qui magnas ex Macedonia, quam Prætor obtinuerat, divitias retuliſſet, ſibi in amore præpoſuerit. Quod vel maxime ex his duobus verſibus conjicere eſt:

Bar-

Barbarus excuſſis agitat veſtigia lumbis.
Et ſubito felix nunc mea regna tenet.

Fateor; mirifice hic me torſit locus, quum Propertio manus primum admoverem. Nec enim vel Muretus, vel Scaliger, ad eum locum quicquam adnotarunt. Credo, quòd nulla luce indigere exiſtimarent. Qua ipſa cauſſa alia quoque poëtæ hujus loca difficillima (ut mihi, non etiam illis, videntur) explicare noluerunt. Atqui rei literariæ intererat, Poëtam hunc non minùs quàm Catullum (etſi ille puritate ſermonis & elegantia, ut ceteris omnibus, Lucretium excipias, ita & Umbro hoc, longe ſuperior) uberrimis commentariis inluſtrari, & diligentiſſima lectione ab omnibus politioris literaturæ ſtudioſis evolvi. Quare ſuper loco propoſito quod ſentio doctiores conſiderent. Puto ergò, poëtam nequiuſcule innuere velle, Prætorem Propertio interim excluſiſſimo, lectum & amorem Cynthiæ occupaſſe. *Excutere* eſt movere. Virgil.

——— gaudetque comantes
Excutiens cervice toros.

Jam vero *movere lumbos* plane amatorium & nequam eſt. Catull.

Qui duros nequeunt movere lumbos.

h. e. qui in illa Veneris palæſtra adeo triti ſunt, ut ad eam ægre poſſint reviſere. *Lumbi* enim valentes & vegeti ad Venerem requiruntur. Hinc Petronianus Eumolpus, quum puellam conſtuprare vellet, hoc tamen abſterritus fuit, quia *Podagricum ſe, lumborumque ſolutorum, omnibus dixerat.* Incertus poëta in Priapeiis carmine 18:

Ecquando Theletuſa circulatrix
Criſſabit tibi fluctuante lumbo.

Fluctuare eſt crebro moveri & ad exemplum fluctuum inquietari :

Magnifice volo fluctuatim ire ad illum.

Loquitur is, qui, ut ait Plautus, ſuam undantem chlamydem quaſſando facit. Prætor ergò excuſſis & motis lumbis, ſive, faciens cum Cynthia quod antè ſæpe Propertius, agitat veſtigia, hoc eſt, veſtigia relinquit, è quibus jacuiſſe eum in lecto cum amica intellegas. De talibus veſtigiis ſuprà eleg. 7. Eripitur nobis. eod. libro :

Nec domina ulla meo ponet veſtigia lecto.

Et infrà eleg. 20. Heſterna mea lux. eodem libro :

Apparent non ulla toro veſtigia preſſo
Signa, volutantes nec jacuiſſe duos.

Quæ quum ita ſcripſiſſem, in Turnebi Adverſaria, librum doctum, Jupiter! & laborioſum, incido. In quibus ille paullo aliter locum hunc interpretatur. Ait enim : Agitare veſtigia eſt veſtigia agere, & incedere. Barbarum enim amore potitum, & victorem incedere magnifice, dixit. Hæc ille. Quæ ſi cui magis arridebunt, (quis enim temere à tanti viri ſententia auſit diſcedere ?) honeſtum tamen laborem meum in re parum honeſta explicanda probabit. Incedenti tamen & ambulanti lumbos excutere minùs convenire puto.

C A-

CAPUT XVII.

Adultus calor. Defigere ſtupore. Symmachus & Apuleius uterque à Rittershuſio ſemel, prior à me ſæpius ſanatus.

MINORE jam cum difficultate ſex priores Symmachi epiſtolarum libros à quovis mediocriter literato legi poſſe exiſtimo. Nunc ut eadem ceteris comitas à nobis contingat, ad ſeptimum progredi, & ex 8. primùm epiſtola verba hæc tentare incipimus:

Nam recentibus ſcriptis hunc addo ſermonem, cujus tibi lectio ſpem reddi muneris mei pollicebitur, ſi Fors præſumpta confirmet.

Monſtra mihi verba hæc loqui videntur. Quare corrigamus: *ſpem reditus mei poll.*

Epiſt. 18.

Utrùm conſularem menſam ſuccinxerit modus voluntarius, aut umquam Formias vicina urbe aut longinquo rure mutaverim.

Sic edidit Juretus. At in veteribus illius & meo aliter: *aut longinquo ire mutav.* Facilis & veriſſima conjectura: *vicina urbe aut longinquiore.* Quam & ipſi Jureto Lectioque probaſſere me confido. *Longinquo ire* pro *longinquiore.* Sicut ſæpe literæ in M s. illo inverſæ erant, ut, *venia ſuita* pro *juſta. diuamentum* pro *adjumentum* &c.

Ibid. ſequitur:

Balneum tibi nuper exſtructum, cui torris unus aduſti caloris pabulum ſatisfacere narratur.

Rittershuſius meus in ſuis ad me literis legendum putabat, *adulti caloris.* Huicque emendationi ſuæ fun-

fundum dabat Apul. XI. Metamor. ubi *flammis adultam facem* dicit. Et Nazar. Panegyrico, quem Conſtantino dixit, *Incendium non adultum* vocavit. Nec quemquam aliquo ſaltem humanitatis ſale contactum fore exiſtimo, qui non certiſſimæ ejus emendationi album velit calculum adjicere. Quid enim eſt, *aduſtus calor?* Idem ſub finem hujus Epiſtolæ legit:

Sed nunc omiſſis epiſtolis velim redeas.

Quum vulgatum ſit: *ſed non om.* In Ms. tamen eſt, *ſed jam omiſſis.* Quia Rittershuſii mentionem injeci, non poſſum, quin aliam ejuſdem nihilo deteriorem in Apuleio emendationem ex ejuſdem heic literis bona cum ipſius pace proponam. Locus eſt in libro de Philoſophia, non procul initio:

Ejus comitatum ſequuntur indignatio & intommobilitas, dicta Græcis ἀναλγησία. *Ita enim dixerim, quæ non exſtinguit incitamenta irarum, ſed ea ſtupore deficit immobili.*

Lege meo & ipſius periculo: *Stupore defigit immobili.* Sæpe ita loqui Livium, eleganti metaphora à ſtipide vel palo in terram inſerto ducta. Ut lib. I. *Tacita mœſticia ita defixit omnium animos.* Lib. 3. *Stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit.* Et lib. 5. *Ipſi pavore defixi primùm ſteterunt.* Item lib. 7. *Defixerat pavor cum admiratione Gallos.* Quin & ipſum Apuleïum ita locutum reperi IX. Metamorph. *Tamen ut expers & ignarus operis, ſtupore mentito defixus herebam.*

CA-

CAPUT XVIII.

Manutius, Titius, Douza, cum Jac. Schekio, in Velleiani loci correctione reprehenſi. Effundere oculum. pro, eruere.

LOCUS eſt Velleii Paterculi de pugna inter Cæſarem & Pompeium Pharſalica, lib. 2.

Aciem Pharſalicam, & illum cruentiſſimum Romano nomini diem, tantumque exercitus profuſum ſanguinis, & colliſa duo inter ſe Reipub. capita, effuſumque alterum Romani imperii lumen, tot taleſque Pompeianarum partium cæſos viros non recipit enarranda hic ſcriptura modus.

Ad quæ verba ita olim Manutius: *Effuſum lumen Latinæ linguæ ratio reſpuit, Exſtinctum probat. Nec tamen adfirmare de mendo auſim, qui Velleium non optimum eſſe Latinitatis auctorem noverim.* Hæc ille. In eo loco valde pueriliter fuiſſe Manutium, more ſuo oſtendere conatur, id eſt, ſtulticiam inſania cumulat Titius, & de Douzæ opinione (quem tamen plagiarium in morem tacet) pro *Effuſum*, *Effoſſum*, vel etiam ſi dIs placet *Offuſum*, reponere ſe poſtulat. At ego te, Titi, quieſcere jubeo, tuaſque emendationes locis adfectis reſervare, nec alios adeo temere & inſubide reprehendere. Per hunc enim locum medico tibi eſſe non licebit, quippe ſanum; cui ſi medicinam facere velis, ad adgnatos profectò deducendus videaris. Quid? an tibi, Douza, lolio victitare videbor, ſi Effuſum lumen ſive oculum Latine dici, teque minùs recte, ne dicam, audacter nimis, correxiſſe adſeram? Minime verò, niſi tibi & Julianus JC. Edicti perpetui conditor lolio

lolio victitavit, & Latine neſcivit. Ille autem, laudante Ulpiano, l. 13. §. Item Julianus. D. locati. ſcripſit:

Si ſutor puero parum bene facienti forma calcei tam vehementer cervicem percuſſerit, ut ei oculus effunderetur, ex locato eſſe actionem patri ejus.

Et rurſus Ulpianus l. 5. §. ult. D. ad L. Aquil.

Sutor puero diſcenti ingenuo filiofamilias, parum bene facienti quod demonſtraverat, forma calcei cervicem percuſſit, ut oculus puero perfunderetur.

Ubi tamen prudenti mutatione legerim, *profunderetur*. Quare jam non eſt, ut Paterculum Manutius Latine minùs locutum eſſe putet, nec ſuum *Effoſſum* alii nobis obtrudant. Quod etſi Latinum ſatis eſt, minùs tamen huic loco convenit. Non enim tam *effodi*, quàm *effundi* oculus ex iſta capitum colliſione potuit. Æſtima vel hinc, lector, quantum literaturæ interſit, Juris civilis libros ſtudioſe legere.

CAPUT XIX.

Alia in Symmachum emendationes. Villa Tiburtis, quæ proxime in jus tuum venit, majoris ingenii prædicatorem requirit. Ego tamen lingua modicus, ut potero, honorem verbis faciam.

VERBA hæc ſunt Symmachi ex lib. 7. epiſtol. 20. in quibus mendum latere haud facile ſit vel ſagaciſſimis odorari. Sed in v. c. longe venuſtiorem & pleniorem lectionem reperi: *ut potero, verbis honorem loco faciam.* Quam in contextum referre nemo non audebit. Epiſtola vero 27. macula eſt, quam nemo niſi obeſiſſimæ naris olfacere debuerat:

Inſu-

Inſuper alterum quoque delenificis amoris artibus retines. Credo connivens, acceleraturum eſſe me reditum, ſi utroque deſtituar.

Quæ hæc, malùm, loquendi ratio? *connivens eſſe acceleraturum.* Emenda ociùs, *conjiciens.* Epiſt. 53. quum de Euſebio locutus fuiſſet, ſubjicit:

Suo igitur præditus merito, teſtimonium pro ſe meum, non ambitum, poſtulavit.

In Ms. eſt, *prædictus.* Quod & ipſum non videtur alienum. Sed & ſuprà lib. 2. epiſt. 66. ita locutus fuerat: *ſuo igitur prædictus merito, commendationis adminicula non requirit.* Et facilè falli potuit librarius. Sicut & ſuprà lib. 3. epiſtol. 44. *Invictus* pro *Invitus* ſcriptum fuerat: Ἀρχαϊσμὸν *ſcribendi non invitus adfecto.* Ceterùm de eo doctiores videre velim.

CAPUT XX.

Propertii diſtichon in dubium vocatum. Teſtor pro prædico. Nepos correctus. Araneis plena. Propertii nova interpretatio.

AD Propertium redeo. Cujus lib. 3. eleg. Dic mihi. 4. quum dolenter admodum Cynthia queſta eſſet de perfidia Propertii, qui aliam amare occœperat, ejus perfidiæ pœnam minatur, & amorem illum novum non diuturnum fore auguratur. Verba hæc ſunt:

Si non vana canunt mea ſomnia, Lygdame, teſtor,
Pœna erit ante meos ſera, ſed ampla, pedes.

Verſu priore malim: *Si non vana cadunt.* Eadem pæne phraſi uſus eſt eleg. O jucunda. 10. lib. 1.

Neu tibi pro vano verba benigna cadant.

Et eleg. Quæ fueram. 16. eod. lib.

At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

Et ſeq. 17.

—— *ingrato litore (i. e. litori) vota cadunt.*

Teſtor ibidem pro prædîco, auguror, poſuit. Ita Cornel. Nepos Themiſtocle:

Univerſos pares eſſe poſſe aiebat, diſperſos teſtabatur perituros.

Sic locus ille ex v. l. legendus. Verſum illum poſteriorem Propertii ita legerim:

Pœna erit ante ejus ſera ſed ampla pedes.

Nondum enim loquitur Propertius, ſed Cynthia de Propertio & novis ejus amoribus, quibus diſcidium prædicit. Confirmant hoc quæ ſequuntur:

Putris & in vacuo texetur aranea lecto.
Noctibus illorum dormiet ipſa Venus.

Ait, lectum eorum deſertum fore & vacuum. Jam verò quæ vacua ſunt, aranearum plena eſſe dicimus.

Catullus:

Plenus ſacculus eſt aranearum.

Et Plaut. Aulul. ſc. 2.

——— anne quis ædes auferat?
Nam heic apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus.
Ita inaniis ſunt oppletæ atque araneis.

Afranius apud Feſtum in Tamne:

Tamme, arcula tua plena eſt aranearum?

Lectum vacuum idem Propert. lib. 2. eleg. 2. dicit:

Liber

Liber eram, & vacuo quærebam vivere lecto.

Sed quod ait, Venerem illorum dormituram, aliter, atque ab aliis factum, interpretor, hoc nimirum Tibulliano:

Silente nocte candidus mihi puer
Tepente quum jaceret abditus ſinu,
Venus fuit quieta; nec viriliter
Iners ſenile penis extulit caput.

Adhuc verba Cynthiæ. Sequuntur jam alia Propertii:

Quæ tibi ſi veris animis eſt queſta puella,
Hac eadem rurſus, Lygdame, curre via.

Ut vel hinc videamus, verba præcedentia eſſe Cynthiæ, quibus illa pœnam Propertio, ut diximus, paratam eſſe dicit.

FINIS LIBRI TERTII.

Viro Clariſſimo,

IGNATIO HANNIELI,

MARCHICO JC.,

& Philologo doctiſſimo,

S. P. D.

GASP. SCIOPPIUS, FR.

DIFFICILE eſt reperiri hominem amicum, ita ut nomen cluet, *ait Comicus noſter. Et, ut veriſſimum illud ſit, reperi tamen. Reperi, inquam, optime & amiciſſime Ignati, dum me familiaritate ad te adjunxi. Pararium quidem ego nullum adhibui, niſi qualem tu maxime volebas, ſtudia nimirum hæc noſtra ab humanitate appellata. Etſi enim jam diu ab his amœnitatibus, philologicis, inquam, & philoſophicis viretis, in quibus volentibus dIs & hominibus olim agebas, ad Themidis illa prærupta te ſuperaſti, libenter tamen ad eadem nonnumquam reviſis, tecumque alios in ſacra illa Juris adyta tuis hortatibus abducis. Multi debent tibi, qui tuo conſilio & opera in ſtudiis aliiſque rebus ſuis uſi; ego verò maxime omnium: quem officiis tuis cottidie tibi arctiùs devincire ſatagis. Quare quem ego proxenetam ſuper conſervanda illa amicicia noſtra ad te allegem potiùs, quàm per quem eadem prius conciliata eſt? Sic igitur hunc quartum Veriſimilium meorum à Scioppio tuo accipies, Ignati candidiſſime, ut propter illum non minùs æternum amorem noſtrum eſſe velis, quàm principio propter ſimile ſtudium me tuum eſſe voluiſti. Bene vale, vir doctiſſime.* GAS-

GASPARIS SCIOPPII, FRANCI, VERISIMILIUM LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Symmachus uno gloſſemate, multis etiam mendis, liberatus.

LIBRO ſeptimo epiſtolarum Symmachi epiſt. 69. editum eſt:

Neceſſe eſt enim improbes, quod ipſe feciſſes.

At hoc cum iis, quæ præcedunt, minime coheret. Dixerat enim:

Tantumque abſum à metu ſuccenſionis tuæ, ut ſperem de te ultro bonam fiduciæ meæ gratiam.

Et eſt hæc ſententia: ſpero, te non ſuccenſiturum mihi, quòd jumenta tua, quibus uſus ſum, tamdiu demoratus fuerim, quia & tu idem feciſſes, ſi tibi eorum operâ uſus fuiſſet. Quare facile ignoſces mihi. *Neceſſe eſt enim* (ſic locum reſtituo) *probes, quod ipſe feciſſes.* Poſterior *ſ* enim repetita ſyllaba ſententiæ pervertendæ fuit, ut ſuprà lib. 1. cap. 7. docuimus. Extrema epiſt. 71, quum Alipii literis valetudinem ſuam refoveri dixiſſet, ſubjicit:

Atque ex hoc intellego, quantum ex præſentia tua commoditatis habiturus ſim, quum tantum ex literis ſalubritatis indicium excipiam.

Sincerior vetus meus ita : *quid ex pr. t. hab. ſim, quum t. ex. lit. ſalubritatis accipiam.*

Ineptum porro illud eſt, quodque jam olim à doctis ejectum oportuit epiſt. 75 :

> *Auſpicium ego vobis* [ſalutandi & inter nos] *ſalutationis emitto.*

Quæ hac nota [ ] incluſi, aberant illa ab optimo noſtro, &, ut dixi, jam diu hinc ejicienda fuerant.

Et ſeq. epiſt.

> *Noſtrum paullatim dolore cedente officium ſalutationis deferre non potui.*

Hoc vult Symmachus : quum ægrotarem, ſcribere ad vos nequivi. Nunc poſtquam ex morbo revalui, literarum officium intermittere mihi religio fuit. Sèd hoc verba illa, utpote depravata, non exprimunt. Corrigit Lectius : *offic. ſalutationis deferere.* Non male, ſi v. l. hæc emendatio niteretur. Tu lege mecum non invitus : *differre non potui.*

CAPUT II.

Sub Divo. Invocatus. Enunciare. Paſſiva in Nepotem correctiones.

JAM & ex Nepote ſaltuatim nonnulla delibabimus. Ac in Ariſtidis quidem vita unum fere viſum eſt, de quo admonerem. ibi nempe quum legitur :

> *Sibi non placere quod cupide elaboraſſet, ut præter ceteros juſtus appellaretur.*

membranas dictiuncula auctiores legere : *quod tam cup. elab.* quæ & vix abeſſe poteſt. Et in Pauſania pag. 21. editionis Ingelſtadinæ :

Vin-

Vincula epiſtolæ laxavit, ſignoque detracto cognovit, ſi pertuliſſet, ſibi eſſe pereundum.

Membranæ, *laceravit.* Et inde illa *ſi pertuliſſet*, non male fortaſſis ab iiſdem abſunt. Pag. ſeq.

Tanto magis Pauſanias perturbatus orare cœpit, ne nuntiaret, nec ſe meritum de illo &c.

Duo libri: *Molo mag. P. p. o. c. ne enuntiaret* &c. *Enunciare* proprie pro, ſecreta detegere, & conſilia alicujus in vulgus proferre. Livius: *adigebaturque jurejurando, quæ viſa auditaque in eo loco eſſent, non enuntiaturum.*

Ibidem:

Tectumque ſunt demoliti, quo faciliùs ſub dio interiret.

Alter codex, *quo celeriùs.* Uterque autem manuſcriptus *ſub divo*, non *ſub dio.* Et ita quoque veteres Horatii codices, quamvis Giphanius Indice Lucretiano utrumque rectum dicat. Finem ejus vitæ ſic ex v. l. lego:

Inde poſteriùs Delfici reſponſo erutus, atque eodem loco ſepultus, ubi vitam poſuerat.

In Cimone pag. 25:

Hortoſque haberet, ut numquam eis cuſtodem impoſuerit fructus ſervandi gratia.

Ms. *cuſtodem poſuerit.* Quomodo & Propertius:

Quos igitur tibi cuſtodes, quæ limina, ponam?

Eadem pag. perperam & vulgatum, & in altero quoque libro veteri ſcriptum:

Cottidie ſic cena ei coquebatur, ut quos convocatos vidiſſet in foro omnes devocaret.

Legendum, *Invocatos*, id eſt, nondum ab aliis vocatos, & vocationes in foro exſpectantes. velut apud Catullum. de quibus ille;

——— mei ſodales
Quærunt in trivio vocationes.

In Thraſybulo extrema pag. 38.

Neque verò hic contemptus eſt primò à Tyrannis, ſed ejus ſolitudo.

Mendum latere numquam ſuſpicatus fuiſſem, absque veteribus libris foret, ex quibus lego:

Neque v. h. non contem. eſt pr. a. t., nec ejus ſolitudo.

Ait, & ipſum & conjurationis ſocios contemptos ab illis. Ubi unum ex eadem vita addidero, caput coronide pingam. Editum eſt:

In ſecundo prælio cecidit Critias dux tyrannorum, quum quidem adverſus Thraſybulum fortiſſime pugnaret.

Ms. *cum quo exadverſus Thraſybulus for. pug.* Quod neque tu, mi Lector, non vides impendiò eſſe melius. Quare ſi operæ erit, ita ad libri tui oram adnotare poteris.

CAPUT III.

Symmacho opera data.

POST eam quam nuper in Symmacho correximus epiſtolam, aliam ſubjecit Lectius, numquam antè editam, quæ in noſtro tamen libro præcedit. In illa hæc leguntur:

Offero vobis eburneum dypticum & caniſtellum argenteum filii mei nomine.

In meo verò libro; *can. argent. librarum duarum fil.*

fil. m. n. quomodo & ſuperiùs epiſt. 54. lib. 5. locutus fuerat. Epiſtolæ 80 principium hoc modo vulgatur:

Fortuna cum civibus noſtris revertit in gratiam, poſtquam te ſibi præfectum indicavit.

Quæ verba ſemper mihi de mendo fuerunt ſuſpecta, credo & tibi, lector erudite. In M s. meo:

poſtquam te ſibi res prævindicavit.

Quod eſt, *res publica.* Sic enim *res præ* aliàs ſæpiſſime in eodem libro pro *res publica* ſcriptum vidi. Et ſententia hoc modo ſatis erit venuſta.

Sed pergo. Epiſt. ſeq.

Familiaribus meis ad Hiſpaniæ longinqua pergentibus ob equorum curulium coëmptionem ſuffragia promovendi conferre digneris.

Lege ex v. c. *ſuffragia prom. negotii digneris adnuere.* Initium quoque 84 epiſtolæ paullo aliter quàm Lectius corrigo;

Et mei circa te propoſiti ratio popoſcit, ut ſcriberem & viro clariſſimo atque ornatiſſimo Euſebio &c.

CAPUT IV.

Contra mores facere. Mores pro legibus. Sine more. Malo more. Invidioſus, & qui invidet & cui invidetur. Propertius ſemel caſtigatus, ter item inluſtratus.

PROPERTIUS eleg. Quæris cur. 21. lib. ſecundo, Cynthiam ipſe ſuam excuſat, quòd illa interdum pluribus ſe pararet. Verſus hi ſunt:

O nimiùm noſtro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit.

Hæc eadem hæc, ante illam, impune & Lesbia fecit,
Quæ ſequitur certe, eſt invidioſa minùs.
Qui quærit Tatios veteres duroſque Sabinos,
Hic poſuit noſtra nuper in urbe locum.

Quorum ſenſus quum non omnibus ſtudioſis ita facilè patere poſſit, breviter in eorum gratiam, ut alia fere omnia, interpretabimur. Vult ergò dicere, non ſolam Cynthiam ita levem & vagam fuiſſe; & nimis caſtam ac felicem fore Romam, ſi una tantùm puella (non etiam plures, ne dicam, omnes) contra leges faceret. Feciſſe idem Catullianam Lesbiam, idque abſque invidia & reprehenſione. Quare ſi & altera ejus imitetur exemplum, tantopere non eſſe culpandam: & peregrinum in urbe, nec gnarum ſatis morum Romanorum, eſſe oportere, qui illo ſæculo priſcorum mores, qui ſub Tatio Sabinorum duce fuerunt, requirat. *Contra mores facere* eſt contra leges committere, quod leges ex iis plerumque fiant, quæ moribus diu recepta fuerunt. Juriſconſulti dicunt, *Adverſus bonos mores facere*, vel etiam *malo more*, quod Virgil. *Sine more.*

——— *rapta ſine more Sabina.*

l. 1. §. ſi cui. 12. D. de extraord. cognit. *Litis cauſſa malo more pecuniam tibi promiſſam ipſe profiteris.* l. 8. D. quod metus cauſſa. *Nam & geſtum eſt malo more, & prætor non adſpicit an adulter ſit.* l. 19. §. 1. D. negot. geſt. *Itaque ſi inveniatur vel malo more pecunia in ſervitute erogata, liberabitur.*

Invidioſum quoque Propertius dicit invidendum, cui jure invideri & ſuccenſeri poſſit.

Sic eleg. 1. lib. 3:

Me-

Mecœnas noſtræ ſpes invidioſa juventæ,
Et vitæ & morti gloria juſta meæ.

Id eſt, de quo ego juvenis nimia uſque ad invidiam mihi promitto, cujuſque adeo familiaritas & vivo & mortuo mihi decori atque ornamento erit. Alibi *Invidioſum* pro invido uſurpat. eleg. Jupiter adfectæ. 9. libr. 2. quum de puellæ ſuæ morbi cauſſa quærit:

Num ſibi collatam doluit Venus? illa peræque
Præ ſe formoſis invidioſa Dea eſt.

Eadem plane ratio eſt verbi *Criminoſus*, quod & paſſive (ut Grammatici loquuntur) & active capitur. Sic Horatius *Criminoſos iambos* vocat, id eſt, criminantes. Agellius *res criminoſas*, quas quis merito criminari & culpare poſſit. lib. 12. Noct. Attic. cap. 12.

Cum aſtu res criminoſas citra periculum confiteri.

Elegia tertia libri tertii:

Odi ego, qui numquam pungunt ſuſpiria, ſomnos.
Semper in iratam pallidus eſſe velim.

Ibi legendum non male fortaſſis divinavi:

Odi ego quos numq. p. ſ. ſomnos.

Q. d. non optarim mihi tales noctes, in quibus non interdum crebra ob iratam dominam ſuſpiria ſomnum mihi adimant. Hanc eſſe loci illius ſententiam facilè videbit, qui totius illius elegiæ attentus lector eſſe volet. Ait enim, placere ſibi in loco furorem & iras dominæ ſuæ. Ex his namque dari ſibi certi ſigna caloris. Unum heic tantùm idque leviculum addam, ex eleg. ſeq. 7. Ubi, quando rudioribus negotium faceſſere poteſt, quod iſtic legitur:

Celſaque Romanis decerpta palatia tauris.

cum

eum illis ſcrupulum exemptum eo, & decerpere palatia interpretor, decerpere gramen, quod olim in illo loco erat, ubi nunc eſt Palatium. Sic in Priapeiis ſæpe, *carpere & decerpere hortos*, pomaria, &c. Id eſt, fructus ex horto. Jam de tauris in Palatio optime ipſe te docebit Propertius principio quarti:

Hoc quodcumque vides, hoſpes, quàm maxima Roma eſt,
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali ſtant ſacra palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boves.

CAPUT V.

Ex ſummis opibus niti. Plures Symmachi epiſtolæ correctæ.

EPISTOLA 99. lib. 7. epiſt. Symmach. quia valde depravate edita eſt, & poſt Lectianam etiam operam finis ejusdem mendoſus circumfertur, ut eum ex v. lib. ſanandum exiſtimo, heic proponam:

Vel certe ſi quid in noticiam tuam æmulus ſermo pervexit, mecum quaſo participes, ut amaritudo, quæ ex aliorum ſimulatione concepta eſt, fidis purgationibus diluatur.

Epiſtola 115. ejusdem libri:

Pro his ergò muneribus optatum tibi ſolvo reſponſum, quo me agere ex ſententia & frui commoda cum mei valetudine recognoſcas.

Emenda ſodes: *frui commoda cum meis valet.*

Sic epiſt. 127.

Itaque

Itaque in jus Herennii revertetur legibus quidem debita, ſed patris ſenſu aſſervata ſucceſſio.

Lego: *ſed patris ſenſui acerba ſucceſſio.* Sequenti epiſtola:

Amor in te meus ex ſummis operibus annititur: in dies enim ſingulos bonorum tibi cultus accedit. Inter quos vir conſularis &c.

Primum *Ex ſummis operibus* Latinum eſſe non puto, ſed *Ex ſummis opibus.* Quomodo & Plautus ſæpe loquitur. Milite: *Eaque expetere te ex opibus ſummis, mei honoris gratia.* Et Mercatore: *Ex ſummis opibus viribuſque experire, nitere* &c. Deinde, quis *Anniti* ita abſolute dixit, nec adjecit, quid annitatur? Quare verba hæc diffingenda & hoc modo ex v. l. augenda eſſe teſtor.

Ex ſum. opibus annititur, in dies ſin. b. t. c. accedat. Tantum abeſt, ut ſinam veteres tibi amicos inſimulationum probitate decerpi. Inter quos &c.

Ubi tamen legend. puto: *amicos ſimulatorum improbitate decerpi.* Adjiciam locum ex epiſtola 129.

Erunt tibi quæ de te ſcripſerim, nimis magna, ſi læta ſint.

quem hoc modo corrigo: *Erunt mihi quæ de te ſcripſeris nimis magna* &c.

CAPUT VI.

Gradus gladiatorum. Amor Herculis pro ipſo Hercule. Propertius correctus, rurſum aliter quàm à Palmerio declaratus.

VAlde me delectat eleg. 13. lib. 1. Propertii, in quâ poëta Gallum facete deridet, eique inſultat, quòd, quum à Veneris ſagittis immunis, antè puellas omnes ex ſua lubidine fallere

fallere ſolitus fuiſſet, nunc occipitium priſtinæ illi ſuæ conſtantiæ oſtendens, unius ſe puellæ imperio totum tamdem ſubmiſerit:

Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus & in nullo quæris amore moram,
Perditus in quadam tardis palleſcere curis
Incipis, & primo lapſus adire gradu.

Verſu poſtremo legendum putabam: *lapſus abire gradu*. Ut ſit tralatio à Gladiatoribus, quorum ex arte poſitura *Gradus* dicitur. de quo videnda Lipſii Saturnalia. quaſi dicat: In decipiendis puellis & Vulgivaga illa Venere tua, ſeu vagis (ut ait Seneca) ignibus laſſus incipis à priſtina illa tua conſtantia diſcedere, & victas puellæ manus dedere. Paullo pôſt, ejus amorem cum illo Herculis in Heben comparat:

Nec ſic cœleſtem flagrans amor Herculis Heben
Senſit in Oeteis gaudia prima jugis.

Flagrare aliquam, ſicut ardere, eſt amare. *Amor Herculis*, id eſt, Hercules. Tales enim periphraſes græciſſantes apud Propertium ſæpiùs occurrunt. Sic li. 1. eleg. 20. de raptu Hylæ, *errorem Herculis* dixit. Sic eleg. 3. lib. 3. *quorum labores*, pro, qui laborantes.

Præda ſit hæc illis quorum meruere labores.

Id eſt, qui militarunt & ſtipendia fecerunt. Sic eleg. 16. Scis here. lib. 2.

Contrà rejecto quæ libera vadit amictu,
Cuſtodum & nullo ſepta tumore placet.

Tumorem cuſtodum interpretor cuſtodes tumidos & ſuperbos, qui amatores à foribus amovere ſolent. Nec adſentior ingenioſiſſ. Palmerio, qui denſam coronam, & fretum illud turbæ, tumorem dictum

putat.

putat. Sic *Sententia Democriti*, h. e. Democritus, apud Lucret. *Sententia Catonis* apud Horatium. *Trabeati cura Quirini* pro Romulo apud Ovidium.

CAPUT VII.

Avium in Naves commutatio. Rorarii milites. Satisfactio pro Excuſatione. Symmachus ſæpe emaculatus.

LIBRUM octavum epiſtolarum Symmachi jam perpolire incipimus. Epiſt. 2.

Sed adverti, verecundia factum, quòd tibi adſumere noluiſti omnem capturæ ſilveſtris eventum.

M s. auctior: *quòd tibi in ſolidum adſum.*

Sequitur:

Sed hæc joci dicta ridebis.

lege, ut in v. l. *joco dicta.* Sub finem ejuſdem:

Atque, ita ſi dI juverint, voluntatem relegere Appiam moleſtiâ acceſſu.

Mendoſa omnia, nec multo meliora M s. niſi quòd conjecturas juvare ingenioſorum poteſt. ita verò ille: *juver. voluntate religere Appiám poteris moleſtia acceſſu hiemis.* Ego conjecturas aliorum libenter exſpectabo. Interim, ut ego legendum puto, edam:

Atque ita, ſi dI juverint voluntatem, relegere Appiam potero moleſta acceſſu hiemis.

Epiſtola 23 ſcribit:

Nullus in avibus canor, nulla in conviviis helluatio, nec frequentatio balnearum, nec illi juvenum procaces natatus.

Pri-

Primùm pro *Avibus* lege *Navibus*. deinde: *nec ulli juv. pr. nat.*

Et epiſt. 47.

> *Poſtquam te, honor aulicus in procinctum vocavit, tu quoque verba ſuccingis. Tamque levis armaturæ miles rurarius æmularis.*

Certa eſt emendatio: *Et tamquam levis armaturæ rorarios æmularis.* Audi Feſtum:

> *Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi prælium committebant, quòd, ut ante imbrem fere rorare ſolet; ſic illi, ante gravem armaturam quòd prodibant, rorarii dicti.*

Sequitur epiſtola 51.

> *Alterum igitur religioni meæ ex utroque faciendum eſt, ut aut cervorum aut aprorum copiam mittas.*

Sententia ipſa emendare ſuadet: *relig. tuæ.*

Ibidem:

> *Nulla enim ſatisfactio juſticia ſupplebit, ſi & illi venatum & mihi ſolatium denegaris.*

In v. l. pro *Supplebit* legitur *Suppetit*. Emendo:

> *Nulla enim ſatisfactioni juſticia ſuppetit.*

Et Satisfactionem pro Excuſatione accipio.

CAPUT VIII.

Latores pro nuntiis & tabellariis. Hæc mihi cum illo ſunt. Nepos in Alcibiadis vita correctus.

IN Alcibiadis vita apud Nepotem ſtatim in principio legitur:

> *Nam in ampliſſima civitate, ſummo genere, omnium ætatis ſuæ*

ſua multo formoſiſſimus, ad omnes res aptus, conſiliique plenus.

Veteres membranæ: *Natus in ampl.* Haud paullo ſane rectiús. Jam pagina 36 editionis Ingelſtadinæ legitur:

His Lacon rebus commotus ſtatuit, accuratiùs ſibi agendum cum Pharnabazo.

Ibi vett. membranæ: *His latoribus commotus* &c. Et ferri ſane poteſt hæc lectio, ſi quidem præceſſerat de iis, quos Athenienſes ad Lyſandrum miſerant. Et eos *Latores* non male dici poſſe exiſtimo. Nam & Suetonius *literarum latores* dixit. Sequitur ibid.

Huic ergò renunciat, ſocietatem quæ regi cum Lacedæmoniis eſſet, ſtare non poſſe, fœderaque irrita futura, niſi Alcibiadem vivum aut mortuum tradidiſſet.

Quæ ego verba ex M s s. libris leviter corrigo, & lectionem hoc modo conſtituo:

Huic er. ren., ſoc. ſtare non poſſe: quæ regi cum Lacedæmoniis eſſent, irrita futura.

Elegans phraſis, *Hæc mihi cum illo ſunt*, ſicut, quid mihi tecum eſt? Salluſt. Jugurth.

Is ubi primùm magiſtratum ingreſſus eſt, alia omnia ſibi cum collega ratus, ad bellum quod geſturus erat, animum intendit.

alia omnia ratus ſibi, ſcilicet, eſſe communia. Cic. lib. 15. epiſt. 10. *Si mihi tecum minùs eſſet, quàm eſt cum tuis omnibus.* Idem ad Attic. lib. 14. epiſt. 17. Bruto certe meo nullo loco deero: idque, etiamſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem, propter ejus ſingularem incredibilemque virtutem. Et aliàs ſæpe. Ut 2. Philip. *Caput autem literarum hoc erat, ſi li cum*

cum illa mima poſthac nihil futurum. Livius: *Lucani atque Apuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat,*

Eadem pag. de interitu Alcibiadis:

Illi quum eum ferro adgredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa domum ſtramineam in qua quieſcebat.

Circa domum ſtramineam, unde irrepſerit neſcio. Puto tamen eſſe Lambini commentum. Veteres libri omnes *circa ſamineam.* Unde conjecit Giphanius: *Circa caſam in qua.* Recte, ſi illud *eam* ſuo loco relinquatur. *Circa caſam eam in qua.* Syllaba *ca*, quæ bis ſcribenda fuerat, ſemel omiſſa culpa librarii. Sicut ſuprà eadem vita in vett. libris:

Deinde celiam in Attica munierunt.

legend. *Deinde Deceliam.* Si verò quæras quid iſto *In* facturus ſim, *circa caſam in eam:* Narro tibi, mi Lector, quiſquis es minùs in vett. libris verſatus, particulam *In* plus millies à librariis inculcatam, quando ea minime uſus erat. Vel. heic pauculis interjectis in v. l. legebatur:

Ille autem ut in ſonitu flamma eſt excitatus.

Quum tamen illa particula omittenda ſit. Apud Symmachum quoties in optimo quoque libro redundet ſi memorare velim, non tam me tempus, quàm charta, opinor, deficiat.

CAPUT IX.

Symmachus auctus & emendatus.

NON dubito operam me navare, omnes & minimas Symmachi lacunas explentem. Quare quum locus ille mutilus ſit, lib. 8. epiſt. 57.

Veſtra

Veſtra in nos diligentia grates referrem, ſi ſe amor ſperatus & ex mutuo lactari laude pateretur.

eum reſtituo: *ſper. & ex mut. debitus lact. l. p.*

Epiſt. 68.

Ruſticari te adſeris, & ducendis vitibus aut arboribus inſerendis crudam ſenectutem fovere. Nam hoc litera tua ſapiunt, niſi forte Gallia tua dedux Heliconis.

Corrigo, & ſic corrigere omnes volo: *Non hoc lit. t. ſ., n. f. Gal. tua deduxſit Heliconis.* q. d. Tu quidem te ruſticari in Gallia ais, ſed lireræ tuæ eruditæ oſtendunt, te libris & auctoribus ruminandis curam impendere; aut ſi vera eſt adſertio tua, oportet ut Gallia ex Helicone deducta ſit. Declarat & confirmat emendationem meam locus epiſt. 18. lib. 4.

Falsò apud me venandi ſtudio gloriaris, quum thymum facundia ſpirent litera tua. Ne mihi os ſubleveris, alia otii, alia negotii ſigna ſunt.

Et epiſt. 47. lib. 1.

Otio & venatibus gloriare. Eſt hac quidem jucunda jactatio, ſed ludo magis à te prolata, quàm ſerio. Nam remiſſa tempora & ab negotiis publicis feriata libris veterum ruminandis expendis. Aliis igitur dabis verba, qui te congreſſu primore noverunt.

Sequitur jam ibidem:

Interea frequentibus epiſtolis deſideria mea ſtimula.

Facilis correctio: *deſidiam meam:* dixerat enim paullo antè, ſe otio & ſtudio torpere.

CAPUT X.

Operari, pro ſacrificare. Sellam ponere. Recidivus. Redivivus quid? Juvenalis aliquammultis locis tentatus.

PAUCA nobis in Juvenali reliqua fecit Pulmanni induſtria. Satyra tamen 14, quum edidit:

Ne perfuſa luto ſit porticus, & tamen uno
Semodio ſcobis hæc emendat ſervulus unus.

puto legend. *emundat.* quia in veteri Rittershuſiano eſt, *emondat.* Satyra decima:

——— vis certe pila cohortes.

Reprehendo fugitivam ſyllabam,& lego: *vis ducere pila coh..* Ejuſdem Satyræ principio:

Evertêre domos totas optantibus ipſis
DI faciles.

Idem Rittershuſii v. c. *operantibus*, id eſt, ſacrificantib. Vide Briſſon. de Formul.
Satyra ſeptima verſu 142.

Reſpicit hoc primùm qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, poſita an ſit ſella togati
Ante pedes.

Ita cum veteri illo malo potiùs, quàm: *an poſt te ſella tog.* & viri docti non ingrate, ut arbitror, libri illius ſcripturam amplectentur.
Eadem Satyr. verſ. 504, de parva virgine:

——— breviorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adjuncta cothurnis.

Ita non ineleganter ex v. l. legas pro eo quod vulgatum, *adjuta.* Parvam puella ſtaturam exprimit, dum

dum eam cothurnis adjunctam ait. ſicut Cicero de genero ſuo: *Quis meum generum alligavit gladio?* Ibidem verſus 361.

At velut exhauſta redivivus pullulet arca
Nummus, & è pleno ſemper tollatur acervo.

Longe venuſtior vetus ſcriptura:

Ac velut exh. recidivus pul.

Metaphoram enim ab arboribus cæſis & renaſcentibus uſurpat: quod verbum *Pullulat* oſtendit. *Recidiva autem arborum* (ait Iſidorus) *ſunt, quæ aliis ſectis repullulant.* Redivivus nummus non æque bene dici poteſt. Siquidem *Redivivum* eſt ædificium ex vetuſto renovatum. Quod ab hoc loco omnino abhorret. Satyra 4. v. 8.

Nemo malus felix, minime corruptor.

lege meo periculo: *mimæ corruptor*, id eſt, qui cum mimis conſuevit, qualis M. Antonius. Non enim placet Schegkiana lectio, hymenis corruptor.

CAPUT XI.

Actores. Domini. gemina Rittershuſii conjectura in Symmacho ſtabilita. Symmachi lacuna impleta, duæ epiſtolæ primùm vulgatæ.

IN libro nono Symmachi præterhac pleraque quæ deerunt ſupplebimus, & quæ mendoſa videbuntur emaculare & corrigere conabimur. Epiſt. 6.

Actores abſentium, quibus res longinqua remittetur, tamquam ſoluti legibus vivunt.

Leg. *committitur.* In iis quæ ſubjicit:

quibus procul poſitis nullus damnorum terror incurrit.

non diſplicet Rittershuſii mei conjectura legentis: *nullus dominorum terror in.* Ut actores & domini opponantur. Idem ille Rittershuſius epiſt. 13.

Ne amariſſima ſcriptionum vices ſine fide procedant.

feliciter emendat, *ſine fine.* Quod Ms. Giphanianus confirmat.

Epiſtola ſeq. 14.

Pars igitur ſolicitudinis tuæ filia mea adventante . . . . . quam proxime Roma ſuſcepit.

repone: *adventante minuenda eſt, quam prox.* Epiſtolæ 18 ſubjicirur alia in Ms. nondum edita. Eam ego, etſi & ipſam mutilam, cum viris eruditis & Symmachi ſtudioſis libenter communicabo.

SYMMACHUS FLAVIANO.

VOTIVA me in amiciciam tuam cauſſa deducit. Quamvis ob decus generis, & morum tuorum, familiaritas tua mihi fuerit ambienda. Prætura filii mei, Fors dictum juvet, equis curulibus inſtruenda eſt. Dudum per meos . . . gregibus tuis pecoris . . . .

POST 19 verò hanc repono.

SYMMACHUS VICARIO HISPANIARUM.

SENATORIIS editionibus convenimur, quarum neceſſitas equorum curulium deſiderat *a* emtation. Hujus igitur rei gratia familiariſſimos meos ad Hiſpaniam miſi, ut quadrigas ex omni gregum nobilitate mercentur. His ad peragenda mandata tuum poſco ſuffragium, ſummoque beneficio

ficio profiteor obligandum, ſi rem *b* facta facilem ſed imper. promoverit.

a *leg. emtionem. Sicut ſuprà epiſt.* 19. *pro Emptionis legebatur in M s. temptationis.*

b *forte: factu facilem ſuo imperio promoverit.*

CAPUT XII.

Propertius non ſemel inluſtratus. Componere pacem. Compoſita verba. Nonius leviter caſtigatus, reprehenſus. Junctus, Conjunctus, pro pradito. Aridus amor. Argutus.

QUÆ heic proponam, erunt illa quidem, ut arbitror, ſtudioſis non inutilia, ſed doctis tamen ſordebunt, quippe qui ex facili intellegent, quod in Propertio lib. 2. eleg. 2. in principio legitur:

Liber eram, & vacuo quærebam vivere lecto,
At me compoſita pace fefellit amor.

Sed tamen quando minùs in auctorum lectione verſati exiſtimare poſſent, *Componere pacem* eſſe fœdus facere; (etſi *ponere pacem* eleg. antecedenti eſt arma capere;) admonendos eos cenſeo, *componere* heic eſſe fingere & ſimulare. Sic eod. libro eleg. 7. componere verba & fraudes:

Sed facile eſt vobis verba & componere fraudes.

Sic Accius laudante Nonio in Componere:

Sic vinctus animus quorum atroci junctus malicia eſt,
Compoſita dicta è pectore evolvunt ſuo,
Quæ, quom componas dicta factis, diſcrepant.

Ita poſtremum verſum interpungo. Primum ſic malim legere, ut ſit Senarius:

 Sic

Sic animus quor. at. junctu' malicia eſt.

Junctus repetitum in *vinctus* migraſſe evidens ſuſpicio eſt. *Animum malicia junctum* fere dixit, ſicut Cicero *conjunctum* pro *pradito*. Philip. 5: *Hujus mendicitas aviditate conjuncta in fortunas noſtras imminebat*. 1. de Orat. *Celeritas & brevitas reſpondendi & laceſſendi ſubtili venuſtate atque urbanitate conjuncta*; id eſt, prædita. Pro Cluent. *Repente eſt exorta mulieris importuna nefaria libido, non ſolùm dedecore, verùm etiam ſcelere conjuncta.*

Sed quòd inibi Nonius hoc Saluſtii loco,

> *Non ſunt compoſita mea verba, parvi id facio. ipſa ſe virtus ſatis oſtendit.*

eamdem verbi illius ſignificationem putat, fugit eum ratio. Ibi enim *compoſita verba* ſunt ornata, compta & ſplendida, quibus Marius orationem ſuam carere, nec facto indigere ait.

Sed ad Propertium. Qui quum eadem elegia miris modis Cynthiæ ſuæ laudes prædicaſſet, ſic eam inter alia tamdem adloquitur:

> Num tibi naſcenti primis, mea vita, diebus
> Aridus argutum ſternuit omen amor?

Ubi quid ſit *aridus amor* & *argutum omen* à pleriſque ignorari video. Amor ſternuit nobis bonum omen, id eſt, ſternutatione bonum nobis omen adfert. Nam omen infuiſſe ſternutationi vel illa vincunt, quòd ſternutanti (ut ait Apuleius) ſalutem imprecari, vel (quod eſt apud Petronium) eum qui ſternuit ſalvere jubent. ζεῦ, σῶσον. Ut eſt in Epigr. Græc. Antholog. Catull.

> Hoc ut dixit, Amor ſiniſtra ut ante
> Dextram ſternuit adprobationem.

Hoc

Hoc ergò vult Propertius : Non dubie bonum tibi, quum naſcereris, omen ſternuit Amor, quippe quæ tam venuſta & docta futura eras. *Aridum* vocat propter ſonum quem ſternutans edit. Nonius : *Aridum, horrificum, acutum.* Virgilius :

——— & aridus altis
Montibus audiri fragor ———

Lucret.

Aridus unde aures terget ſonus.

Hæc Nonius. qui *argentum aridum* ibidem interpretatur purum & lucidum. Ego propter ſonum itidem aridum dictum puto. Eodem, ad iſtum nempe ſonum, *Argutum* referri debet : quod Nonius quoque interpretatur *ſonans.* Hinc Virgilius *argutam ilicem* dicit, cujus rami vento colliſi vel impulſi ſonant. Inde Propertius *argutum* fere pro querulo accipit, ut eleg. 16. lib. 1. ubi janua de querelis amatorum loquens :

Ille meos numquam patitur requieſcere poſtes,
Arguta referens carmina blandicia.

eleganter profectó. quaſi amator non patiatur januam dormire, dum ſuas querelas exponit. Sic eleg. 18. Hæc certe. Eod. 1. lib.

——— nec arguto facta dolore queri.

& ibidem *argutas aves* vocat, quas Horatius ait in ſilvis queri, id eſt, canere. Sequitur paullo pòſt eadem 2. elegia :

Si quis vult fama tabulas anteire vetuſtas,
Heic dominam exemplo ponat inante meam.

Admonuerunt quidem viri docti *Inante* pro ante eſſe poſitum : & dixit mihi Giphanius, in vetu-

ſtiſſimo libro ſe reperiſſe *Exemplar*. Sed quid hæc ad declarandum obſcurum hunc verſum? Putares conjungi debere, ante meam dominam: quum tamen ſecus ſit. Hoc ait: Si quis eo nomine laudari vult, quòd dominam adeo formoſam habeat, ut cum veteribus heroinis conferenda ſit, ille heic Cynthiam meam ad exemplum anteponat.

CAPUT XIII.

Aetatis tuæ homines, id eſt, tui. Vita tua. Symmachus ſæpe emendatus, & epiſtolâ auctior redditus.

PARI comitate qua Symmachum paullo antè locupletavimus, quæ in 21 epiſt. deſunt, ex v. l. reponemus. Finem ergò talem reperi in Ms.

Vellem quippe ita continue honorare amiciciam tuam literis, ut mente jugiter colere numquam diſſimulaverim. Subjunge. *Poſtulatum jam pridem commendat à ſenſibus tuis. Prætoria filii mei, ſi Fors dictum juvet, inſtat editio. Ea nos admonet ut quadrigas nobiles in certamen ..... quæ poſſet ex multorum gregibus edecumare meliores non obſit ſecuritati meæ, quòd Hiſpanias longinquas edecumaſti admotus ad me equorum coemptioni. tantùm literis juva, valebit pro nobis ut ſpero apud amicos cura tua delegatio.*

Quæ omnia ſatis obſcura & mendoſa aliàs fortaſſis ſanabimus.

Epiſt. 22.

Denunciavi enim litem moventi, quòd ad me cauſſa pertineat, nec defuturum me actionis ejus auxilium.

corrigo: *nec def. eis meæ act. auxil.* Eis, id eſt, familiaribus Baſſi. Sequitur ibi:

Quod

Quod non dubito etiam præſtantiæ tuæ homines indicaſſe.

In v. c. *non dub. ætatis tuæ hom. Ætatis tuæ, id eſt, tui.* Plaut. Menæch.

Inimicus ſibi magis quam ætati tuæ, id eſt, tibi.

Sic alibi apud eund. Væ ætati tuæ, id eſt, tibi. & ſimilia.

Sic *vita mea*, id eſt, ego. Propertius lib. I. eleg. 2.

His tu ſemper eris noſtræ gratiſſima vitæ.

pro, mihi eris gratiſſ. Et eleg. II. eod. lib. I.

Aut ſine te vitæ cura ſit ulla meæ.

hoc eſt, num ſine te poſſim de me eſſe ſollicitus. Et libro tertio eleg. 9.

Quid mirare meam ſi verſat femina vitam?

ſi me verſat. *Verſare aliquem*, id eſt, angere. Idem:

Et miſerum toto juvenem verſare cubili.

Aliquid tamen monſtri latere puto in Symmacho. Sequenti epiſt. 23, media fere, poſt *Injunxi*, repone integram hanc periodum:

Oro præterea ut equorum tractoriis, quas vir inluſtris Theodorus emiſit, confirmationem per epiſtolam præſtes, ne mutato judice beneficii lenteſcat auctoritas. Exambirem &c.

Epiſt. 28 non recte mihi videtur poſtrema verba emendaſſe Juretus, quom reſcripſit:

Et honeſto ordini notam detrahe, & homini pars eam rogatus ignoſce.

quum

quum reponendum fuerit: *Et homini parum cauto rogatus ign.* quæ verba & in M s. vetuſtiſſimo ita perſcripta ſunt, & antecedentibus confirmantur: *Caret foro, & inconſulta lingua pretium tulit.* Nota vetus formula: Parum caviſſe videri. ad hanc Symmachus alluſit.

CAPUT XIV.

Eſſe magno dolore, gaudio, periculo. Ridiculoſus. Cor. Nepos ſæpe correctus.

AUDAX facinus incipiſſit, qui contra veterum librorum fidem & auctoritatem aliquid Latina civitate donare, vel viciſſim eadem interdicere conatur. Quo magis nugatoris illius Gallicani deteſtanda nobis frons eſt, qui in Pſeudocicerone ſuo doctiſſimum Manutium alioſque inſignes viros impudenter flagellat, multa etiam egregie Latina, ut barbara, immeritiſſimò proſcribit. Quale eſt, quòd elegantiſſimam illam phraſin, *Eſſe magno dolore, eſſe magna lætitia &c.* Latinam negat, & præpoſitionem IN ſemper addendam cenſet. Quum tamen qui vett. libros tractarunt, in vetuſtiſſimis quibuſque exemplaribus conſtanter omiſſam noverint. Probabilis forte ratio ejus futura, ſi uno & altero tantùm libro vel loco phraſis illa ad eam faciem concepta eſſet. Sed ſi conſtanter & in vetuſtiſſimis libris ita ſcriptum eſt, quis niſi projectiſſimæ audaciæ contradicere ſe poſtulet? Eadem phraſis eſt, *Eſſe magno periculo.* Quam ille itidem damnat, invitis Muſis & omnibus, quos ego verſavi, libris veteribus, etſi in editis libris depravata fere fuerit. Cornel. Nepos in Hamilcare:

Ut numquam pari in periculo fuerit Karthago, niſi quum deleta eſt.

Præ-

Præpoſitio IN à vetuſtioribus membranis abeſt, & abeſſe debet in Datame:

In quibus docet, eum magno fore in periculo ſi quid illo imperante in Aegypto adverſi accidiſſet.

In duobus enim Mss. deſideratur. Sic in vita Dionis ex vett. membranis legendum:

Ait, eum magno periculo eſſe propter offenſionem populi.

Sic etiam legendum in Hannibale cum duobus libris:

Vidit vir omnium callidiſſimus, magno ſe fore periculo, niſi quid prævidiſſet, propter avariciam Cretenſium.

Semel tantùm apud Nepotem intacta remanſit, non longe à principio Dionis:

Simulque ab his petiit, ſi forte majori eſſet periculo, ut ſibi faterentur.

Loquitur ibi de Dionyſio ægrotante. Utitur eadem phraſi & Petronius:

Narrabo tibi, adoleſcens, paralyſin cave. Numquam ego ægrum tam magno periculo vidi.

Et Cœlius ad Ciceronem epiſt. 2. lib. 8. famil.

Itaque relictus Lege Licinia majore eſſe periculo videtur.

Sed age inſigniorem hominis illius audaciam attende. Eram cum V. Cl. Joanne Ladiſlao, & Pſeudo-Ciceronem illius cum illo pariter legebam. deprehendi, eum non contra veteres libros ſolùm, ſed & auctores, multa adſerere. Quom enim legeremus de voce *Ridiculoſus*, quam ille Latinam negat, immo faſti-

faſtidioſe more ſuo explodit, quòd putat, à tali nominum forma, qualis eſt Ridiculus, non deduci nomina in *oſus*: Tuam fidem, inquit, Scioppi, & quid eſt temerarium & falſum eſſe, ſi hic non eſt? Primùm enim Ridiculoſus apud Plautum reperitur. Deinde hæc deducendi ratio frequens eſt: ut *famelicoſus* à famelicus, *perfidioſus* à perfidus, *canoroſus* à canorus, *invidioſus* ab invidus, *dubioſus* à dubius apud Agellium.

CAPUT XV.

Aliquammulta præclara in Symmachum emendationes. Non quo, pro non quod. Dicit eſſe cultor.

Oratus igitur literis meis dignare concedere optatam requiem &c.

VERBA ſunt Symmachi 35. epiſt. lib. 9. quæ tamen pleniùs & venuſtiùs in v. l. ita:

Oratus igitur atque exoratus ſit.

Sequitur ibidem:

Nec deerit ſubrogandus, quum facilè ex tot optimatium numero parem fide atque induſtria virum tu edecumare poſſis.

Lege ex Ms. *tua edecumare poſſit electio.* Etſi in eo fuit *ejectio.* Nota eſt autem liteaarum *i* & *l* crebra inter ſe permutatio. Sicut & paullo pòſt epiſt. 39 loquitur:

Quod mihi declive ad impetrationem videtur. ſiquidem neceſſe eſt, te delectet eorum probitas, quorum non fefellit electio.

Ita enim locum illum legendum adſero.

Epiſt. 42.

Utinam plura dictaſſes. mihi tamen ſæpe petita inſtar multorum fuerunt.

Repone ex Mſ. *Repetita.* quod & Cl. Rittershuſio meo in mentem fuerat. Eadem epiſt. fere extrema:

Quod reſtat, Aurelium tibi denuo in manum tradimus: non quòd inefficax fuerit prior commendatio, ſed ut meritum ejus noſtramque curam teſtetur iteratio.

Mea fide ſcribe cum vetuſtiſſimo illo libro: *non quo ineff.* Damnavit quoque formulam hanc auctor Pſeudo-Ciceronis. Sed optime habet, quòd illæ edictiones ſunt ſine populi ſuffragio. Aliud teſtantur, qui vett. libros tractarunt. Et ita veteres eleganter ſæpe locuti. Cic. *Oratores ego cenſor edicto meo ſuſtuleram; non quo acui ingenia adoleſcentium nollem, ſed contrà, ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam.* Et in Lucull. *Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, ſed ut opponeret Stoicis.* Sic locum illum in omnibus manu exaratus libris legi Giphanius mihi teſtatus eſt. Terentius Adelph. *Duo quom faciunt idem, non eſt idem. Non quo diſſimilis res ſit, ſed quo is qui facit.* Ita v.c. Bembi.

Epiſt. 51.

Tacenda ſunt damna fortunæ, ne ſera conſultatio ſcindat præteriti cicatricem doloris. Rectiùs ergò te cum filii noſtri Nemeſii ornatiſſima indole vel potiùs fecunda laudum fruge contulerim.

Elegans ſententia omnem venuſtatem amiſſura, niſi me auctore reſcribas: *Rectiùs ergò tecum de filii n. &c.* q. d. nolo heic de triſtib. repetere, quum illa dolorem refricare ſoleant. ſed conſultiùs fecero, ſi

de

de rebus bonis, ut de Nemeſio, tecum locutus fuero.

Et epiſt. 53.

Felix quom & domus tua cultorem ſe diceret.

Ita vulgo editi. ſed longe venuſtior M s 1 lectio: *quom domus tua cultor eſſe diceret.* quale illud Catulli, *Ait fuiſſe navium celerrimus.*

Virgil.

—— *ſenſit medios delapſus in hoſtes.*

Horat.

—— *patiens vocari Cæſaris ultor.*

Ovid. 13. Metamorph.

——— ſed enim quia retulit Aiax
Eſſe Jovis pronepos.

Quod eleganter, ut omnia, imitatus eſt V. Cl. Paulus Meliſſus Franciæ noſtræ ocellus, Lyricorum poëtarum ſoli Horatio ſecundus, & vere Germaniæ Pindarus, quum ad Joſ. Scaligerum ita ſcribit:

Per quinque jam me luſtra, vel ampliùs,
Imbutum amœnis pectora literis,
Quas uſque guſto, ſcriptitandi
Adſiduum cacoethes urguet,
Mentemque apertis illinere abditum
Cogit papyris: & tamen (heu pudet
Pigetque me vani laboris)
Sentio diſcipulus manere
Rudiſque tiro.

Finis epiſtolæ 59, quum & mendoſus & mutilus ſit, ſalutarem & medicam à nobis manum exſpectat. Sic ergò vulgo ille legitur:

Forte

Forte lætari animum tuum judicas dulci potiùs nuntio quàm fideli : quum fore tibi ejus reditum divinus favor adnuerit, ut in illis meritis deprehendas mei teſtimonii veritatem.

Pro *lætari* lege *lactari.* deinde : *confore quum tibi ejus r. d. f. ad., ut in illius meritis d. m. t. ver.*

CAPUT XVI.

Duûm Agellii, totidem Nonii locorum emendatio. Detergere pro depellere. Aequus ad ædilitium modum. Aetas in meridie eſt.

PHAVORINUS apud Agellium de nutricatione diſputans, Homerum & Virgilium inter ſe conferre incipit ; aitque, Homerum quidem in accuſatione duri & feri hominis partus tantùm ferini meminiſſe ; Virgilium etiam nutritionis. Verba ſunt lib. 12. noct. Attic. cap. 1.

Scite igitur & perite noſter Maro, quòd quum verſus illos Homeri conſectaretur :

οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς,
οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,
πέτραι τ' ἠλίβατοι. ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

non partionem ſolam, tamquam illam, quam ille ſequebatur : ſed alituram quoque feram & ſævam criminatus eſt.

Horum verborum ſenſus quis eſſet, diu & anxie quæſivi. Hoc enim verba exprimunt, Virgilium noluiſſe partionem ſolam criminari, quia Homerus id fecerit. Quæ tamen ſententia menti philoſophi convenit minùs. Tamdem explicitus tamen ſum opera Giphanii, qui mihi veteris libri lectionem communicavit hujuſmodi : *tamquam ille quem ſeque-*

ſequebatur. Homerum verò intellegit. Et ita locus ille ex Giphanii M s. reſtitutus, meæ potiſſimùm benignitati debetur, qui eum velut ex clauſtris erui. Utinam vero plures! ſed hoc optare tantùm eſt. Interim quid mihi de alio Agellii loco videatur exponam.

Lib. 17. cap. 16.

Anates ponticas vim habere venenis detegendis potentem.

Lego: *detergendis*, id eſt, abigendis, depellendis. vel, *digerendis.* Sequitur enim: ſolitumque earum ſanguinem miſcere medicamentis, quæ digerendis venenis valent.

Nonius in Convenire:

Convenire, ſimilem eſſe. Var. Longe fugit, qui ſuos fugit. Solus rex, ſolus rhetor, ſolus formoſus, fortis, ſecus vel ad ædilitium modius purus, putis, ſi adhuc charactera Cleophantus conveniet, cave attigeris hominem.

In doctorum virorum ad Nonium notis Lutetiæ editis ſi de hoc loco videre voles, reperies, virum doctum legere: æquus vel ad ædilitium modium. Is vir doctus, ut mecum pariter id ſcias, eſt Giphanius. qui ampliùs ita legit:

purus putus ſi ad hunc charact. Cleanthes conv.

Certum eſt, de Stoicis loqui Varronem. eorum princeps Cleanthes, Zenonis ſucceſſor.

Idem Nonius in Meridiem:

Nos in epiſtolis quæ inſcribuntur à doctrinis de peregrinando & vigilia. Igitur aliquando & morantium cogitationem priùs quàm ætas in meridie & torpedinem pelleret.

Pri-

Primùm Giphanius conjecit: *peregrinando. Evigila igitur aliquando*, &c. Deinde legendum puto:

& morantium cogitationum, priuſq. atas in meridie eſt, torpedinem pelle.

CAPUT XVII.

Xenia amicorum. Symmachus ſæpiùs auctus & emendatus.

POST emendatam à nobis ſuperiùs Symmachi epiſtolam 59. li. 9. hæc in Ms. legitur & primùm à me jam proponitur:

OBSERVANTIAM vetus uſus induxit, ut domo profecti præſtent auſpicium mutuæ ſcriptionis. Sed ego longæ exſpectationis impatiens ordinem ſervare non potui. Prior igitur tibi honorificentiam ſtyli defero. Dehinc ſubjicio poſtulat. (leg. poſt ılatum:) cujus hæc forma (fort. ſumma) eſt, Laurentium domeſticum meum, quod domus meæ poſcit utilitas, ſuffragio tuo non diſſimiles adjuvare. (leg. diſſimules.)

Epiſt. 61.

Vehiculi rota cujus eſſe debeant menſura, linea miſſa teſtabitur.

Sic locum illum ex v. l. reſtituo. vulgo, *epiſtola miſ.* quod tamen alienum eſt. Eadem epiſt.

Humanitas ſemorum tuorum debet eſſe moderatior.

Nolo heic doctorum fruſtrationibus illudere, quorum alius, *morum tuorum*, alius, *immanitas munerum tuorum* &c. ſcribendum cenſet. Sed præclara eſt emendatio: *Hum. xeniorum tuorum*, quamque omnes eruditi ultro amplexabuntur. *x* & *ſ*, ſæpe commutarunt. hinc *mixta & miſta*, *juxta & juſta*, *Vlixes & Vlyſſes*, *nixus & niſus*.

 Epi-

Epiſtola 67.

Quare & fortunæ tuæ gratulor, quæ talium negotiorum magnitudini orationis gravitate reſpondit.

Mutilum hunc locum video, & reſtituo:

Quare & f. t. g., quæ ſpectatorem te ſecundis rebus adpoſuit, & facundiæ, quæ talium negot. &c.

Extrema epiſt. 78.

Certe nobis nihil antiquius erit, quàm te legere, quibus blanditias oris tui interim non contigit. Vale.

Adde volente manuſc. *audire.*

Epiſt. 93.

Amo literas tuas, ſed exſpecto præſentiam. Nam etſi dierum ratio pollicetur plura me ſcribere, ſpes adventus tui non ſinit.

Lego: *exſp. præſentiam, quam mihi dier. ra. p. plura. &c.* Nonageſimam quartam ſuavis & elegans ſequitur epiſtola in MS. nondum edita.

SYMMACHUS **.

SUMPTO adventus mei nuntio, de quo non potuit apud te fama reticere, exſpectavi ut prior ſcriberes, vel quod eſt amabilius, ut ipſe Formias commeares. ſed quia utrumque mihi vel diſſimulatio tua vel occupatio denegavit, in partes tuas libenter ipſe ſuccedo, teque oro ut mihi aut excurſum tuum præſtare digneris, aut ſi obſtat aliquid, ſaltem literaria ſalutatione reſpondeas.

CAPUT XVIII.

In periculo inſcribere. Exilium mittere. Deüti. Donicum. Vi vincere. Certe pro certo. Nepos aliquotiens correctus.

IN Iphicratis vita apud Cornelium Nepotem principium diverſimodis in veteribus libris ſcriptum eſt. Alii legunt:

Iphicrates Athenienſis non tam genere aut magnitudine rerum geſtarum, quàm diſciplina militari nobilitatus eſt.

Alii: *non tam magn. rer. geſt. quàm diſc.* Alii, *non tam gen. quàm mag. r. g. quàm diſcipl.* Lego:

Non tam genere quàm mag. r. g. & diſc. mil.

Et pagina ſequenti editionis Ingelſtadinæ:

Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum intercepit.

In Ms. vet. *Interfuit.* Facilis & certa eſt emendatio, *interfecit.* Traditum eſt hoc, quòd ille cohortes (hoc eſt enim *Mora*) Lacedæmoniorum conciderit. Pagina 74. in Epaminunda:

Sed unum ab iis petivit, ut in periculo ſuo inſcriberent.

Ita rectiùs v. l. quàm editio illa, *conſcriberent.* Nec placet quòd viri quidam docti *ſepulcro* legunt pro *periculo.* & *Periculum*, libellum ſive Annalem publicum, quales Romæ erant Annales maximi, (ut τὸ *Suo* non ad Epaminundam, ſed ad Thebanos referatur,) vocari, facilè credo interim, dum idoneiorem loci illius interpretationem doceamur. Pag. 79. in Pelopida:

Auctores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exſilium ejecerunt.

In v. c. *partim exſilium ejecer.* & ita quoque non invenuſte Latini ſcriptores loqui ſolent. Catullus :

Cur non exſilium malaſque in oras Iris ——

Accius : *Juſſit proficiſci ex'lium quovis gentium.* Pagina 95. in Eumene :

Non enim hoc convenire Antigoni prudentia, ut ſic deüteretur victo.

Ita in omnibus v. l. ſcriptum, quamvis nuſquam lectum mihi verbum *Deüti.* Veriſimile tamen eſt, eodem illud modo uſurpari pro ſimplici, ſicut ego *Depoſſe* pro Poſſe neſcio ubi legere memini. Τὸ *De* auget & intendit, ut in *Deamare*, *Deſubito*, *Delitigare*, *Deſævire*, *Deridiculum* &c. Unum & alterum locum ubi adjecero, tum finem capiti imponam.

Pagin. 98. in Phocione vulgatur :

Eidem quum propè ad annum octogeſimum proſpera permanſiſſet fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit ſuorum civium.

Lege meo periculo : *Idem quum p. a. a. o. perveniſſet, fortuna* &c. *Perveniſſet*, eſt in libris manu exaratis.

In Hamilcare fere principio :

Romanoſque armis perſequi donec aut virtute viciſſent, aut victi manum dediſſent.

Quæ lectio etſi plana eſt, veterem tamen ſcripturam minime neglegendum eſt. In vett. ergò membranis ſic exſtat : *donicum aut ut certe viciſſent.* In altero inferioris vetuſtatis libro : *donec aut certe viciſ. Donicum* pro donec, antique. Nec tamen ab eo Cicero abhorruit. Suſpicor ſi quis conjecturæ locus, *t* in *i* converſo legendum :

Donicum aut vi certe viciſſent, aut &c.

Quo-

Quomodo & Plaut Amphitr. ſc. I.

> Denique ut voluimus noſtra ſuperat manus,
> Vicimus vi feroces.

Certe pro Certo dixit, ut & Lucret. fine tertii:

> Certe equidem finis vitæ mortalibus adſtat,
> Nec devitari letum pote, quin obeamus.

Et libro quarto:

> Uſque adeo ut certè videamur cernere eum quem
> Reddita vitaï jam mors & terra potita eſt.

CAPUT XIX.

Aequimanus pro Ambidextro. Symmacho multoties medicina facta.

PLURES jam antè Symmachi epiſtolas princeps invulgavi, & haberem ſane alias elegantia pari, quas ſuo olim tempore unà cum reliquis omnibus emendatas dabimus. Nunc quædam mendoſa in illo corrigere conabimur. Epiſtola ergò 101 libro nono editum eſt:

> *Propè eſt, ut te arguere debeam, qui ſæculo noſtro Tullianum ſtylum famæ parcus invideas.*

M s. *invadas*, habet. Quam tamen lectionem amico meo probare non potui. Sequitur:

> *Ut plane Homeri .... relatione uſus ..... id eſt, æquimanum te eſſe pronunciem.*

Imple lacunas illas volente M s. *Homerica appellatione* περιδέξιον, *id eſt, æquimanum, t. e. p.* Gloſſarium vetus: Περιδέξιος, Æquimanus. Æquimanus autem eſt ambidexter. Auſonius:

> Quis Mirmilloni componitur? æquimanus Threx.

Ho-

Homer. Ili. *φ*:

ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν.

Epiſt. ſeq.

Sed vereor, ne his parum credas, quum accitus excuſem. quamvis juſta ratio ſapientem non poteſt offendere. quo enim pacto ad prima faſcium tuorum vocatus auſpicia paucis diebus Galliarum longinqua penetrarem? Exime itineris apparatum, cogita hiemis impedimentum &c.

Sic totum elegantem illum locum reſtituo, qui vulgo peſſime conſpurcatus & admutilatus fuerat.

Epiſt. 120.

Et ideo curam tuam efflagito, in prodendis omnibus, quæ poſcit editio.

Emendo feliciter: *in providendis.* Atque ita, Lector, in Symmachum multa. Nam omnia nunc non dico. Sed ubi plus otii nactus fuero, quum ætate judicium adcreverit, auctorem illum innumeris mendis liberatum, multis epiſtolis auctiorem, & notis noſtris inluſtriorem, edituri ſumus. Tu Lector benevole ex his quæ dedimus, quid tibi de editione noſtra ſperandum ſit, æſtimabis, & mihi tui ſtudioſiſſimo favebis.

FINIS.